






COLLECTION PHILOLOGIQUE

RECUEIL

DE TRAVAUX ORIGINAUX OU TRADUITS

RELATIFS A LA

PHILOLOGIE & A L'HISTOIRE LITTÉRAIRE

NEUVIÈME FASCICULE

DE FLOOVANTE VETUSTIORE GALLICO POEMATE, A. DARMESTETER



PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

RUE RICHELIEU, 67

1877

COLLECTION PHILOLOGIQUE

RECUEIL

DE TRAVAUX ORIGINAUX OU TRADUITS

RELATIFS A LA

PHILOLOGIE & A L'HISTOIRE LITTÉRAIRE

NEUVIÈME FASCICULE

DE FLOOVANTE VETUSTIORE GALLICO POEMATE. A. DARMESTETER



PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

RUE RICHELIEU, 67

1877

DE FLOOVANTE

VETUSTIORE GALLICO POEMATE

ET DE MEROVINGO CYCLO

AB EODEM AUCTORE.

Traité de la formation des mots composés dans la langue française comparée aux autres langues romanes et au latin, un vol. grand in-8°, Paris, Vieweg, 1874.

Deux élégies du Vatican, textes du XIIIe siècle, publiés pour la première fois d'après un manuscrit de la bibliothèque du Vatican et accompagnés d'un commentaire philologique, historique et littéraire; in-8°, Nogent-le-Rotrou, Gouverneur, 1874.

Phonétique française : *La protonique non initiale, non en position*, in-8°, 1876.

Tableau de la langue et de la littérature française au XVIe siècle, suivi de *Morceaux choisis des meilleurs écrivains en prose et en vers de cette époque* (en collaboration avec M. Ad. Hatzfeld), deux vol. grand in-18, Paris, Delagrave, 1877.

De la création actuelle de mots nouveaux dans la langue française et des lois qui la régissent, un vol. grand in-8°, Paris, Vieweg, 1877.

ANICII. — EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.

DE FLOOVANTE

VETUSTIORE GALLICO POEMATE

ET

DE MEROVINGO CYCLO

SCRIPSIT

ET ADJECIT NUNC PRIMUM EDITA
OLAVIANAM FLOVENTS SAGÆ VERSIONEM ET EXCERPTA E
PARISIENSI CODICE « IL LIBRO DE FIORAVANTE. »

A. DARMESTETER



LUTETIÆ PARISIORUM
APUD BIBLIOPOLAM F. VIEWEG
VIA RICHELIEU, 67

—

1877

MAGISTRO ET AMICO

G. PARIS

TABULA CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

Asservatur in scolæ medicinalis bibliotheca, in urbe Montepessulano [1], codex manuscriptus gallicum poema inscriptum *Floovant* continens, quod a doctissimis Guessard et Michelant in lucem editum est [2]. Hujus poematis in sequentibus paginis perquirimus textum, historiam, originem.

In prima parte statuimus textum quem habemus sæculo XIV° semi-lotharingica dialecto scriptum, sæpe immutatum et retractatum, prius gallica lingua, medio XII° sæculo, compositum fuisse.

In secunda parte vertimur ad imitationes, quæ plurimæ fuerunt ejus poematis, factæ in Batavia, in Scandinavia, in Italia, et quid inter exemplar et imitationes intersit et quomodo exteri textus a gallico fonte emanent, quærimus.

In tertia statuimus Floovantis poema cujus præcipua in persona Merovingus rex dignoscitur, esse vestigium quod nobis amissum Merovingum poeticum cyclum, Carolingo anteriorem, repræsentet [3].

1. *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements*, t. I, p. 459; Montpellier, *bibliothèque de l'Ecole de Médecine*, n° 441, in-8°, vélin.

2. *Collection des anciens poëtes de la France*, Floovant, *chanson de geste publiée pour la première fois d'après le manuscrit unique de Montpellier*, par MM. F. Guessard et H. Michelant; Paris, Vieweg, 1859.

3. In expositione non solitam methodum sequimur cujus in *Romania* multa egregia exempla occurrunt : sed quidquid lectori non philologo ignotum esse potuit fusius exponendum curavimus.

Flovent

Flovent

islandica versio primitiva

t

Fragmentum Florentis et Octaviani

y

ξ

F

ξ'

Holm. 6

B C

A

ξ''

D E

nco-
toria.

Fiovi franco-italiana historia.

Poema fr.-ital.

Olaviana versio.

Parisiensis cod. Scand. 23

l libro de Fioravante (codex florentinus; codex magliabechinus).

x

Floovant

Floovant

Floovant

FRAGMENTUM HOLLANDICUM

Pars II Fioravanti franco-italiani

Textus venetianus

E

PARS I.

De Floovantis textu.

Cap. I.

Floovantis textum lotharingicæ dialecti speciem referre.

Quilibet vetustioris gallicæ linguæ haud imperitus poema nostrum lotharingicæ dialecti speciem referre statim animadvertet; quod quidem *Floovantis* editores non fugit. « Si la chanson de Floovant n'offre pas un grand intérêt littéraire, elle nous semble fort curieuse à étudier au point de vue philologique. *Elle est écrite en dialecte lorrain;* nous en jugeons ainsi en la comparant à des documents datés, notamment à des chartes rédigées à Metz. » Sic doctissimi Guessard et Michelant, sub finem præfationis (p. xvj). Quod quum asseruerint, non autem demonstraverint, quibus exemplis nitatur hoc judicium et quos intra fines concludi debeat, non inutile est perpendere.

Lotharingiæ dialectus cum burgundica plurima communia, quædam propria et sui juris habet; unde fit ut nobis diligenter inquirendum sit quid in lingua Floovantis Lotharingia una cum Burgundia, quid sola Lotharingia sibi vindicet. Quæ disquisitio duplex est, *sonorum* videlicet et *formarum*.

I. *De sonis.* — 1. *De vocalibus.* — A. Gallicum *a* in *ai* convertit burg. et lothar. dialectus. Sic in *Floovante : Ausai* 641 etc. etc.,

braiz 2018, *deçai delai* 670, *divai* 451, *jai* 669 et passim, *lai* 267 et passim, *laisus* 1029, etc., *melaides* 1624, etc., et in verbis, 3 pers. sing. perfecti et futuri, *-ai* (de quo vide infra, ad conjugationem). In syllabis accentum non ferentibus : *cairé* 725, *chaitel* 208 etc. Habet gallica dialectus : *Ausa*, *braz*, *deça*, *dela*, etc. [1]

Peculiariter notanda est transformatio vocalis *a* in *ai* quoties sequitur palatalis tenuis aut media, quam non solum lothar. et burgund., sed et picardica agnoscit dialectus : *barnaige* 213 734 888 1409 1467 etc., *Cartaige* 380, *mesaige* 1463, *langaige* 122, *omaige* 2255 2258 etc., *paraiges* 160 etc., *raige anraige anraigié* 375 379 387 846 1209 etc., *rivaiges* 1388 etc., *saige* 2263 etc.; *coraigous* 1026, *saicheiz* 1067 [2].

Contra gallicum *ai* sæpenumero ad *a* in burgundica et lotharin-

1. Quod ad lotharingicos textus, vide quos in lucem edidit vel grammaticis commentariis adornavit Fr. Bonnardot in *Romania* I, 328-351; II, 245-259; III, 78-88; V, 269-322; *Chartes françaises de Lorraine et de Metz* (Paris 1873, extrait des *Archives des missions scientifiques*, 3e série, t. I.); *La guerre de Metz* en 1324, p. p. E. de Bouteiller, avec un commentaire grammatical et un glossaire par Fr. Bonnardot, Paris, Didot 1875, in-8°. Cf. Paul Meyer, *Notice sur un manuscrit bourguignon*, Romania, VI, 1-46.

2. Vide str. 10. Quum hoece in opusculo stropharum numeri sæpius citentur, expedit concordantiam inter versuum et stropharum numeros hic referre.

Str.	versus	Str.	versus	Str.	versus	Str.	versus
1	1 — 21						
2	22 — 94	20	574 — 609	38	1115 — 1122	56	1553 — 1602
3	95 105	21	610 — 634	39	1123 — 1176	57	1603 — 1608
4	106 — 131	22	635 — 680	40	1177 — 1190	58	1609 — 1711
5	132 — 205	23	681 — 692	41	1191 — 1196	59	1712 — 1749
6	206 — 211	24	693 — 721	42	1197 — 1265	60	1750 — 1771
7	212 — 232	25	722 — 759	43	1266 — 1282	61	1772 — 1779
8	233 — 305	26	760 — 783	44	1283 — 1305	62	1780 — 1814
9	306 — 378	27	784 — 791	45	1306 — 1324	63	1815 — 1921
10	379 — 387	28	792 — 805	46	1325 — 1337	64	1922 — 2015
11	388 - 403 [1]	29	806 — 823	47	1338 — 1347	65	2016 — 2073
12	404 — 414	30	824 — 858	48	1348 — 1376	66	2074 — 2269
13	415 — 432	31	859 — 886	49	1377 — 1414	67	2270 — 2380
14	433 — 459	32	887 — 894	50	1415 — 1435	68	2381 — 2451
15	460 — 471	33	895 — 915	51	1436 — 1453	69	2452 — 2485
16	472 — 494	34	916 — 1016	52	1454 — 1471	70	2486 — 2516
17	495 — 503	35	1017 — 1051	53	1472 — 1488	71	2517 — 2533
18	504 — 549	36	1052 — 1098	54	1489 — 1537		
19	550 — 573	37	1099 — 1114	55	1538 — 1552		

1. In edito textu, pp. 13-16, l. 1, versuum indicatos numeros sic corrige : 387-418, 419-450, 451-482, 483-514.

gica dialecto redigitur : *mas* 94 684 695 904 919 922 933 1071 1547 1724 etc., *daaz* 652, *detrare* 124, *fare* 1760, *(je) faz* 1724, *fates* 1149, *(je) sa* 1744, *(il) sat* 1087, *sasi* 803.

— Sonum *al*, quoties sequitur consonans, gallicus sermo in *au* mutat : *alba aube*, *chevals chevaus;* burg. et lothar. in *aul*, etiam quum sequitur vocalis : gall. *aler*, burg. et loth., *auler*. Sic in *Floovante : auler* 41 110 111 451 729 766 etc. etc., *Auleman* 478 499 550 555 etc., *amiraur* (= *amiraul*) 640 657 etc., *maul maule maulement* 660 696 893 1013 1046 etc., *marechau* 998 etc., *cheraul* 534 1096 etc., *paulefroi* 461 465 etc., *senechaul senechau* 45 360 1039 etc., *saule* 1033, *vaul* et composita *contravaul desvauler* 1435 1100 500 etc., *versaul* 963 995 etc. — Vide infra ad *l*.

Etiam vocalem *a*, quum sequitur consonans *s*, *m* aut *b* (in suffixo *abilis able)*, lotharingica pronuntiatio in *au* mutat : *passer* fit *pauser* in Fl. 1205 etc., *pasmer*, ad *pamer* redactum, fit *paumer* 608, 1023 etc. ; *veritable* fit *veritauble* 892 ; sic *deaubles* 709 887, *amirauble* 1818.

Hæc præterea etiam de *a*, in syllabis accentum non ferentibus, in *Floovantis* textu notanda. Præpositio *per* plerumque *por*, non *par* transcribitur ; sic *por*, *pormi*, *pordevant*, *pordonner* 122 136 281 300 426 460 469 540 579 655 665 711 819 861 863 865 866 1021 1022 1028 1044 1061 1090 1168 1181 1198 etc., *oorent (adorant)* 1244. — *Jemais* 322 689 694 817 1142 1175 1176 1293 1314 1500 1517 1579 etc. in quo *je* nihil aliud esse mihi videtur quam *jai* attenuatum [1] ; *tremetrons* 527 (gallice *trametrons*), *essis-e* 1034 1621, *jesanz* 1540.

E — *e* ex *á* latino ortum in burg. et loth. dialecto *ei* fit : *cantare chanteir ; arius* eodem modo *eir*, non *ier*. Sic *Floov. : ballei* 117, *saicheiz (sapi-á-tis)* 1067, *chivaleir* 98, *confanoneir* 445, *moilleir* (gallice *moillier*) 15, *eirt* (gall. *iert*) 53, etc.

— *e* ex *e* vel *i* latino ortum lothar. dialectus libenter in *a* mutat, quæ vocalis crassiorem et sono *ò* viciniorem sonum refert, ita ut, in meridianis Lotharingiæ regionibus, in Vosegis scilicet, ad *ò* tendat. Inde fit ut pro *e*, nunc *a*, nunc *o* sæpissime *Floovantis* textus exhibeat [2] : *bale (bella)* 562 et pass., *Bordale* 1427, *damoisale* 1465, *eschac* 676, *apale (adpellat)* 636 721 833 897 1183 1280 1445 1492, etc., *regrate* 923, *sale* 541, 1118 etc. — *Corcle* 1179,

1. Semel *jimais*. 1550. Cf. *gimais* apud P. Meyer, *Romania*, VI, 41.
2. Cf. Paul Meyer, *l. cit.*, p. 41.

froche (fresche) 600, *mot (mittit)* 269 1811 1409 1467, *ole (illa)* 1800, *prouoce* 625 2070, *redroce* 854, *richoce* 1228, *matinot* 2180, *Florote* 506 2195 2207 etc.

Animadvertendum est, 1) *o* præsertim *ĭ* vel *ē* latino, id est *é* clauso, *a* autem *ĕ*, id est *è* aperto, respondere; 2) suffixum *ot ote* (gallice *et ete*, lat. * *ittus, itta*) potius Vosegianæ regioni et Burgundiensi Comitatui referendum quam septentrionali Lotharingiæ quæ sonum *at ate* affectat.

Quod ad *e* in syllabis non accentum recipientibus pertinet, pauca observanda sunt. Verba qualia *contramont* 831, *contravaul* 875 1100, *antrabatent* 385, jure loth. dialecto referenda sunt: at de *aparceu* 66, *espardu* 1349, *marci* 195 1184; *vorgondé* 115, *donier* 719, *do* 529, *pordu* 270, *pordriens* 1341, nihil affirmari potest, quum ejusmodi formas non solum lothar., sed aliæ dialecti præbeant. Prætermitto etiam *livez* (levatos) 109, *chivalerie* 1236 1248, *griver* 1339, etc., aliis ac loth. dialectis haud ignota.

Ei gall. e primitivo *ē*, *ĭ* ortum, sequente *ñ* vel *n* vel *l̃*, integrum remanet; lothar. autem necnon burg. picardicaque dialectus in *oi* mutat, seu accentum ferat syllaba seu non : *ploines* 957, *dois* 1964 2243, *nois* 156, *Roins* 1446, *ouroiles* 1798, *moine* 55, *moinent* 637, *anmoine,-ant* 545 812 1100 1419; — *moïlour* 900, *doignier* 704 955 1145, *noier* 358 707, *noiant* 491, *consoiliez* 1754, *soignors* 1 334 *soineri* 563, *mervoilouse* 789, *moichine* 1639. Adde etiam *moïsmes* 475 590, *moïme* 1012.

O — *ó* clausum vetustioris gallici sermonis, in tota Lotharingia usque ad extremum Comitatum, sonat *ou* : cujus soni perplura in Floovantis textu exempla : *coraigous* 1026, *corroçous* 1033 1053 etc., *cour* 210 854 1137 1505 etc., *colour* 600, *quelour* 607, *doue* 250, *flours* 339, *glorious* 22 200, *honour* 1432, *hontous* 74, *joouse* 803 1114, *lour* 529 1456, *lous* 456, *meilours* 1494, *moïlour* 900, *mervoilouse* 789, *nou* (nodum) 1299, *oïtours* 979, *orgoulous* 954 1064, *our* 958, *outes* (hostes) 162 167, *outregous* 431, *Pantecouste* 42, *paour* 292 1051 1054, *rasour* 223, *Sarracenour* 576, *Seignour-s* 760 989 1256 1436, *soul* 84 150, *traitous* 432, *voidouses* 1502, etc. Adde etiam *pouvres* 493, *clous* 637. (Cf. str. 20). — In syllabis non accentu elevatis, clausis vel apertis, *ou* seu primitivo *ó* congruit, seu *ò* ; *cousté* 1334, *Floouvant* 135, *orgoulous* 954 (*orgouelous* 311, *orguelous* 1064), *ouroiles* 1798, *ousai* 217, *ouster* 67, *outel* 55, *outroïier* 716 843, *proudome* 488, *souler* 705, *soulemant* 227.

Oi, ui. Diphthongorum *oi ui* ad simpliciorem sonum *o, u,* reductarum quod *proprium* loth. habet dialectus, plurima exempla : *vodroz* 632, *crorai* 669. *chosit chosi* 344 1124 1207, *angousus* 590, *lo* 2090, *lont* 1756, *jont* 1057, — *apruchiez* 799, *agusé* 325 336, *busenne* 2135, *cudier* (*cut, cudoit,* etc.) 967 1031 etc. *cestu* 1378, *cusine* 1666, *dure (con-, des-)* 75 177 309 452 977 1711 etc., *fuant* 1121, *lu* (pronomen) 222 1231 1347 1621 etc., *lut lusant* 525 535 728 763 etc. *sut* 1814 (sed *suit* 1816) *suvant* 1757. *us* 1490.

Contra gallico *u* respondet sæpius *ui* lothar. *desuis laisuis* 621 724 814 1107 1636 2364 etc., *pluis* 1355, *porfanduis* 964. *voltui* 1364.

Notemus alia quædam quæ loth. dialectus sibi vindicare potest : *fist* (ferit) 799, *bastitire* 1240, *firté* 83 751, *tinent* (tenent) 1658 [1], *peres* (peiores) 1411 1469, etc. Cœtera sub *l* et *n* vide.

Sæpissime in lotharingicis et præsertim Mettensibus textibus, *e* mutum finale nasali sono afficitur : inde *soïmen* (= soïme soïmes soiomes) 1962; etiam *moinent* (moine) 896, *broichent* 1877, in quibus *e* in *en* mutatum cum finali desinentiæ pluralis *ent* confunditur quæ sonabat *ĕt* ; cf. *eusint* (eussent) 1255. Adde et *perdesant* 152 (pro *perdessent*, gallice *perdissent*) [2].

Identidem *ques* pro *que* 111, 1696 in Mettensibus chartis reperitur.

2. *De consonantibus.* Quædam in consonantibus peculiaria habet lotharingicus sermo ; quæ breviter percensebimus.

L. — Ut supra vidimus, *l* inter duas vocales in *ul* mutatur; consonanti autem sequente, plerumque supprimitur, qua in re lothar. a burgundica discrepat quæ *l* in *u* vertit, aut certe servat.

ALIS = *és éz é* : *qué novelles* 477, *qué novelles* 593, *ques homes* 1476, *liqués* 1437, *annez* (*annales*) 743.

ALLUS = *az : versaz* 1191 *vassaz* 1077 (prope *versauz varsauz*, passim). Identidem *chevachier* 698, *mavais* 681, *Maderam* 1629 (prope *Mauderanz* = *Malderanz* 761 766, etc.), *as* (= als, aux), passim.

ELLUS = *èls als ais;* ELLUM = *ail ai : chestais chatais* 625 720, *novais* [3] 710, *boisais* 677, *coutail* 1039, *mantai* 104 107, etc.

Formæ *vaz* (vetulus) 740, *soroz* (**soliculus*) 700 (scriptum *solaut* 2180) etiam lotharingice tantummodo sonant.

1. Pro gallico *ie* nunc *i* nunc *e* invenitur : hæc sunt notationis *e* exempla : *tene* 650, *vene* 673 1460 *venent* 1885, *gesent* 584.

2. Cf. Bonnardot, *Romania*, I, 337 ; II, 245.

3. Sic ms. : editores corrigunt *novaus*, perperam.

M, N. — Nasalis sonus *ã*, *ẽ*, *õ* sæpius, ut in lothar., per *am*, *em*, *im*, *om* notatur : *Gurtam* 484, *Amiram* 486, etc., *Urbam* 523 692, *oriflam* 532, *Maupriam* 598, *commam* 1968, *Mauderam* 760, *Maderam* 1629, *Flooram* 761 1307 etc. *Floram* 1942 etc., *sam* (sang) 773, *Joceram* 818 1449, etc., *gam* (gant) 1965, *am* 2131, *desrubam* 1300, *Maom* 1407, *Tavergam* 1304 1466 etc., *ocidam* 1462, etc. — *Galiem* 352, *Rim* 553, *vim*, 1045, *traisom* 694, etc.

Lotharingici textus solent nasalem sonum nunc puris vocalibus addere, nunc nasalibus adimere ; quod sæpenumero in nostro textu apparet. Supprimitur nasalis soni signum in : *acoitates* 1607, *acienous* 1964, *Apoli* 1230, *Aulemaz* 478, *aiz* 720, *aisi* 216, *covit* 231, *cretie* 368, *derot* 1738 1847, *esparniace* 1381 1394, *Frace* 751, *guernemaz* 1790, *gas* (jans) 655, *Galie* (Galien) 433, *losoigier* 697 (*losoingier* 824), *matiroie* 2228, *metenant meitenant* 505 783 1298 1781 etc., *maiz* 509, *menaz* 1431, *penanaz* 1745, *poiz* 795, *poig* 189, *tienet* 268, *troichant* 865, *voicuz* 1924, *viesz* 441, etc.

n contra seu vocalibus quas gallica dialectus puras habet additur seu nasalibus superadditur, quo expressius designetur nasalis sonus : *ansin* 592, *ausint* 906, *eusint* 1255,, *ann* 496 551 557 639 689 695 746 893 925 1550 1981 etc., *ammenerent* 699, *anmi* 1585, *branz* (braz) 1475, *busennes* 2135, *donmaige* 1691, *fanme* 1502 1606 2227, *forsannez* 80, *Maonmot Maonmerie* 559 579 737 1241 1645 etc., *prennez* 628, *tan* (ta) 882, etc.

m et *n* aliquando confunduntur : *traïmant* 542, *Liemart* 1104, *nerci* (merci) 130, *nort* (mort) 2093, *ginais* (jamais) 1550. Animadverte etiam hinc *mambres* 7 etc., illinc *anbler* 66, *anbedui* 59, etc. ; hinc *colomes* 724, illinc *hone* (home) 941 ; præterea *ein* 684, id est *aim* (amo).

Nihil de orthographia *ain*, *ein*, *oin*, sequente palatali *g*, *ch* dicam : *trenchier tranchier*, *treinchier trainchier*, *troinchier* (74 102 153 197 421 455 597 782 919 1035 1048 1174 1242 1262 etc.; cf. *mangier mengier maingier meingier* 374 918 993 1017 1029 1051 1605, *voingeance* 1215, *plainchié* 500 825, *blainche* 62). Hæ enim formæ non nostræ dialecto propriæ sunt. *Floovant* gallicum est, *Floovam* et *Floovain* 16 burgundicum et lotharingicum.

Nota etiam *Champene* 207, *Bretene* 1387, *Aulemene* 1388, *compenie* 1588, *montenes* 1205, et alia ejusdem modi in quibus gallicum *agne* in *aigne egne* primum mutatum est, ad *ene* postea reductum, quod loth. dialectus non ignorat.

S, T. etc. — Lotharingicæ dialecto, ut e Mettensibus chartis constat, propium est duro sono litteram *s* inter duas vocales afficere, unde fit ut in scribendo hic sonus qui per duas litteras *ss* gall. notatur, sæpissime una contentus sit. Haud aliter in nostro textu : *asez* 487 759 1003 1011 1018 etc , *amase* 1070, *asis asiet* etc. 918 1010 etc., *batison* 688, *vosise* 1799, *croisant* 2259, *euse* 1371, 1102, *eusint* 1255, *fuse* 1367, *garise* 1234, *glatisent* 1208, *guerpisent* 544, *isir* 528 531 533 779 940 941 944 etc., *isi* 675 680 1199, *laisier* 472 568 780 849 850 918 1101 1103 1185 etc. *mesaige* 1463, *oceise* 1084, *paser* 330 374 758 1224 1237, *poisance* 1383 1413, *puise* 1599, etc.

E litteris quæ supprimantur aut addantur quo melius exprimatur pronuntiatio haud validum quidem de dialecti natura deducitur argumentum, quoniam talia in omnibus dialectis locum habent, in Vosegiana tamen regione communiora [1] : *cretié* (crestien) 368, *mauvaitié* (-stié) 457, *replant* (resplant) 416, *veites* (veistes) 480, *froche* (frosche) 600, *chacuns* (chasc.) 1208 — *san* (sans) 126 234 733 1384 1447 etc., *sen* (sens) 2184, *qué* (qués) 1493, *tu fu*, *conquier* 464 459, *fué* vos am 2131.— *Don dom* (dont *vel* donc) 405 416 512 513 615 845 910 970 1015 1075 1134 1453 1500 1599 1915 etc., *to* (tot) 234 684, *por depor* (-port) 366 1608, *an* (ont) 493, *tan* (tant) 481 673, *gan* (gant) 219, *gar* (gard) 1346, *mou* tot (mout, molt) 1948 1957 etc., *ci* (cist) 1138, *san* (sang) 1031, *je cui* (cuit) 905, *sain* (saint) 874 1036 [2]. In Mettensibus, meridionalis Lotharingiæ et Burgundiæ textibus [3] pollet hæc orthographia, et ea pariter quæ sequentibus in vocabulis expressius notat sibilantem sonum : *ainzsois* 715 764, *armerz* 436, *desorz* 257, *forsz* 312, *puetz* 370, *viesz* 441.

II. *De formis.* — Notemus articulum *lou* (= *le*) quem ut burgund. dialectus novit lotharingica : 168 192 194 219 325 358

1. Cf. P. Meyer, *l. c.*, p. 45.

2. Cf. P. Meyer, *l. c.*, p. 44.

3. In conjugatione, communis est orthographia *chaï* (chaït) 1535, *entandi* 1050 1293 1470 1518 1534 1574 etc., *re-feri* 1044 1066 1178 1298, *perdi* 785, *pendi* 1008, *randi* 1116 1199 1201, *tressaï* 1057, *gari* 1200, *di* 1541, *vai* 288 291 387 1421 1490 1667 2114 2115 2123 2124 etc., *sesi* 1056, sed non : (qu'il) *puis* 906, (il) *pran* 999, (il) *par* 586 662, (je) *ran* 1186, (il) *tin* 172, (il) *o* (habuit) 133, (il) *portoi* 1020, (il) *per* 1288 2184, *son* (sunt) 1136 et vice versa *sont* pro *son* = suum 921; cf. *tont* 567, *soien* (soient) 1876. Harum formarum exempla in meridionalis Lotharingiæ textibus non difficile invenias.

421 466 1109 1151 1168 1195 1375 1427 1450 1496, etc.; cf. 112 : *le* pié ...et *lou* solé.

Animadverto femininum *le* (pro *la)* quod est picardicum : 455, 1672 641 *(Le* (= *la)* Florote, file *le* roi d'Ausai). Dialecti picardicæ in nostro textu hæc tria modo vestigia reperio, quæ nullius momenti estimanda esse et per errorem scribæ irrepsisse censeo, quum nullum orthographiæ *k* pro *ch*, *ch* pro *c* exemplum textus præbeat : item errore inductum, v. 191, *la* (pro *le)* quod nulla dialectus novit. *Le* pro *les*, 434 (o *le*. xxx. pucelles) eamdem ac *qué* pro *ques* (de quo supra) orthographiam offert.

Nota singulare illud *tu* = *tes* (tuus) : *tu fil* 881, *tu fils* 1980.

Conjugatio verborum, in summa, orientalem linguam burgundicam scilicet et lotharingicam refert, quum *a* (in *chant-a*, *chanter-a*, *il a)* in *ai* mutet (cf. supra, *p. 4*), et pro *ez* (in *chant-ez*, *chanter-ez)* dicat *(eiz) oiz*, necnon *omes* pro *oms ons* (in *chant-ons*, *chanter-ons*, etc.) et *iens* pro *ions* (in *chant-ions*, *chanter-ions)* offerat : frequentissima sunt exempla : *ai* (habet) 76 78 133 145 161 173 174 191 215 219 226 248 279 287 338 339 346 355 407 410 416 418, etc., usque ad finem libri; *il amai* 9 31, *voudrai* 12, *comandai* 17 37, *durai* 47, *entrai* 57, *ferai* 89 102 etc. etc. Fastidiosum cetera exempla referre; vide modo versus 77 78 140 144 172 178 205 207 225 230 235 264 272 286 310 330 340 341 347 349, etc. Identidem *astis* = *estes;* ut enim reperimus *habergastes* 1081, *parlates* 656 et *pansates* 889 (*ates* pro *astes*, cf. supra, *p*. 9); sic et *parlestes* 525, *aseurestes* 1082, cf. *tu es* (= tu as) 1612, *aulesez* (= *alassez*, allassiez) 2138.

De *oiz* pro *ez* vide 164 277 304 305 468 470 841 996 1071 1088 1149 1153 1343 1382 1383 1385 1614, etc.

De *iens* pro *ions : pordriens* 1341, *mantiriens* 1425, *poiens* 1906; de *òmes* pro *oms ons : gardonmes* 1808 (*gardons* 1809) *moromsnes* (lege *moronmes)* 1536.

Quædam peculiaria animadverte : perfecta *descendié* 411, *respondier* (lege : respondiet) 167, *repantiet* 1015; *ditrent* 220, *pritrent* 298, *pristrent* 662 790, *vindrent* 764 765 822 1033, etc., *trovit* 6, *aportirent* 1228, *trovesis* 2139, non nostræ dialecto repugnant, nec jam hæ infinitivi formæ *choioir* 1169, *soioir* 1472.

Sufficiunt quæ protulimus exempla quæ augere facile est; sed non propositum habuimus quidquid dialecticum vel peculiare præbeat noster textus hic recensere. Ex his quæ attulimus exemplis, *pleraque orientalem Galliam*, Lotharingiam scilicet,

Burgundiam et extremam Belgiam, denuntiant, quum toti huic regioni communia sint ; *quædam autem extremæ Lotharingiæ ad meridiem,* Comitatuique vicinæ modo referenda sunt. Unde concludendum nostri codicis patriam *Vosegianam esse regionem* [1].

Cap. II.

Floovantis textum multo plura gallici sermonis exempla exhibere.

Istumne poema lotharingice scriptum est? Minime quidem. Vix unum est lothar. dialecti exemplum quod non simul sub gall. specie, in nostro textu, occurrat ; *a* non rarius offenditur quam *ai*, *age* quam *aige*, *al* quam *aul*, *e* quam *a* vel *o*, *ei* quam *oi*, *o* quam *ou*, *oi ui* quam *o u*, etc. Cuique vocabulo in cap. I sub lotharingica forma allato facillime *idem* vocabulum alio in loco gallice scriptum opponas. Fastidiosum sit exempla singula secundum ordinem recensere [2] : versusque integros aptius est affere qui nihil lothar. dialecti habent, puram autem et meram gallicæ referunt proprietatem.

v. 49 Je vos commant ici Floovant à garder.
56 Que li dux ot mengié e beü à planté
64 Adonc estoient tuit li prodome barbez
Et li clercs et li lais, li prestes coronez.
68 Et trestoz les forcons de la barbe coper.
71 Et quant il estoit pris, à mort estoit livrez.
73 Li anfes Floovanz l'a formant esgardé, etc.

Qui versus lotharingice fere in hunc modum sonarent :

1. Barbara mihi videntur nec explicari posse : *tu ocias* 1156 (qu'il) *ociast* 1055 (qu'il) *ferast* 1055; *pouz* (potes) pro *pues* 1075. Vide etiam quæ affert P. Meyer, *Romania, ibid.*, p. 42 et n. 1.

2. Vide infra, p. 14.

Je vous commam ici Floovain ai gardeir.
Que li dux ont maingié e beü ai plaintei.
Adonc estoient tuit li proudoume barbeiz.
E li clercs et li las, li prastes querouneiz.
E treztoz les foircons de la bairbe coupeir.
Et quam il estoit pris, ai moirt estoit livreiz.
Li anfes Floovain l'ai formam esgardei, etc.

Quacunque in pagina poema evolvas, seu dimidios, seu integros versus, seu versuum seriem offendes, quæ gall. sermonis sunt.

p. 5 .xiiii. chevaliers a li rois apelez,
Si lor a commandé : « *Aulez*, n'i demorez,
Ici *por* devant moi Floovant m'amenez,
Que par icel apostre qu'on *quier* an *Noiron* pré,
Je le ferai *detrare* ou les *manbres* coper. »

Lege *alez*, *par*, *quiert*, *Néron*, *detraire*, *membres* (vel *mambres*), cetera puro gall. sermone scripta sunt : *chevaliers* non *chivaleirs*, *a* non *ai*, *apelez* non *apeleiz*, *demorez amenez* non *demoroiz amenoiz*, *par* non *por*, etc. Ipso in *aulez*, pars prior *au* loth., posterior autem gall.; integra enim loth. forma est *auloiz*.

Adonc a fait li rois e crier e huchier
A toz ces qui de lui tienent terre ne fier
Que il ne li *donasent* ne argant ne ormier,
Ne armes ne chevaus n'un *soul* jor à mangier.

Lege *donassent*, *sol* : quatuor istos versus credas gallice scriptos fuisse.

p. 9 Ils broichent les chevaus, si ont les armes prises
Vers Floovant s'en vienent chacuns *por* ahatise.
Floovans en fiert .i. an la targe florie,
Desoz la boucle a or li a fraite et malmise.
Et l'aubert de son dos li deront et dessire ;
Ou cors li mit la lance, qui qu'an plort ne qui rie,

Quodnam ibi loth. dialecti vestigium, *por* adempto, invenire est?

Nonne gall. sermone scripti sunt hi versus quos temere, sine delectu, decerpimus?

p. 13 Seignors, plait vos oïr quels hons fut Fernaguz?
Fors et felons et fiers et de fiere vertuz...
Vet ferir Floovant desor son elme agu...
Et trenchié le aubert et le pan de l'escu ;
Res à res de la char est li branz descanduz.
De ci en terre aval an est li branz coruz.
Quant Floovans le voit, moult en fut irascu.
p. 14 Mout li voit Sarazins coper et detranchier;
Elle li escria : Qui es tu, chevalier?...
Je ne lairai à toi ne traire ne lancier...
Floovans la regarde, prit la à acointier.
A icele parole i est venuz Richeir.
p. 19 Amiraus, sire rois, dient li Sarazins,
Amiraus, riche rois, por coi t'esmaies si
Por .I. recet mauvais que François ont sesis?
Or irons an lor terre, si lor en todruns .M.
p. 25 Richiers jut d'autre part en .I. lit antailié;
Quant vit son seignor panre, mout an fut corociez :
Il a pris une lance qui gisoit à son chief...
Lors est venuz au murs, si s'est aval glaciez...
Le fiz le roi de France leverent sur .I. mul.

Nihil prodest longius hanc demonstrationem proferre, ne plusquam dimidia pars libri nobis sit transcribenda. Satis patet textum nostrum gallici et lotharingici sermonis temperamentum esse, in quo majorem sibi vindicet partem gallicus.

Cap. III.

Floovantis textum, quum prior scriba gallica dialecto usus fuisset, a lotharingo scriba in lotharingicam dialectum negligentius transcriptum fuisse.

Quid inde colligendum est? *Floovantis* poema *mixta dialecto,* ut usitata verba usurpemus, scriptum fuisse? In hac videlicet regione quæ Franciæ et Lotharingiæ confinis duas recipiebat dialectos? Minime quidem. Mixta enim quævis dialectus inter plures vicinas dialectos jacens, alius alia parte indolem referre solet, ita ut hanc certis, illam aliis non minus certis, nunquam mixtis, characteribus repræsentet. Gallicus sermo, exempli gratia, mixta dialectus jure dici possit, quum quædam burgundicæ, alia picardicæ, alia autem normannicæ propria mutuata fuerit : *ei able* cum normannica dicit, quum pic., et burg. *oi, auble aule* dicant; *e* cum norm. et pic., quum burg. *ei* habeat; *cha ce ci* cum burg., quum normann. et picard. *ca che chi* pronuntient. Sed nusquam gallicum sermonem videas nunc *ei, able* cum norm., nunc *oi, auble aule* cum picard. et burg. dicere; nunc *e* cum norm. et picard., nunc *ei* cum burg. pronuntiare ; nunc *cha ce ci* cum burg., nunc *ca che chi* cum norm. et picard. usurpare. Identidem, normannica dialectus mixta inter pictavensem et picardicam haberi potest, quum *ei* pronuntiet ut pictavensis in quibus vocabulis picardica *oi* habet, *ca che chi* autem ut picardica, quæ in pictavensi *cha ce ci* sonant. Nusquam autem reperias norm. dialectum, ad libitum, *ei* et *oi, ca* et *cha, ce* et *che, ci* et *chi* pronuntiare, mixtis et confusis duarum vicinarum dialectorum characteribus. Cuique suum, et quas mixta dialectus ab alterutra sumpsit (si sumpsisse dici potest) pronuntiationes, eas usque servat et semper sibi constat.

Nostrum autem poema nihil mixtæ dialecti refert, quum *eadem* vocabula, eædem syllabæ nunc lotharingicum, nunc gallicum habitum induant. Quomodo fit ut reperiamus *paser* 267 et *pauser*, *belle* 1332 1761 etc. et *bale, eschec* 572 et *echac, ameinent* 1096 etc. et *anmoinent, mains* 917 et *moins, seignors* 63 188 214 277 693 833

etc. et *soignors, seignerie* 252 et *soineri, seignors* 63 etc. et *seignour, cor* 1004 1337 et *cour, mais* 2020 etc. et *mas, sesi* 1056 et *sasi, faire* passim et *fare, set* 1190 etc. et *sat, suit* 1816 et *sut, lui* 58 etc. et *lu, quant* passim et *quam, Floovans Floovant* passim et *Floovain Floovam*, etc., etc.? Quomodo ut eædem perfecti et futuri terminationes in tertia persona singulari nunc *a* nunc *ai* proferant, et futuri in prima singulari persona nunc *ai* nunc *a*, mixtis incomposite ambarum dialectorum characteribus?

Non operæ pretium est longius hic immorari : satis constat non mixtam esse poematis dialectum. Conjectandum est igitur poema sive gallico, sive lotharingico idiomate scriptum fuisse, dein a quodam scriba in alterum idioma negligentius transcriptum.

Genuinum textum gallice scriptum fuisse, a scriba autem in lotharingicum imperite conversum, non difficile erit demonstrare.

Si *consonantias* [1] stropharum consideres quædam tibi barbaræ videbuntur.

Str. 6 : *France* Champene *antre fiance pesance France. Champene*, lothar. forma, consonantiam disturbat, quæ si in gallico *champagne* convertatur, statim restaurabitur consonantia.

Str. 10 : anraige Cartaige *atarge targes decassent desmailent antrabatent chaple* raige. Lege gallice : *anrage Cartage rage*: nihil jam dissoni invenies [2].

Str. 22 : *arc gart eschac depart loast* amiraur Ausai parlai *estora* loiaus principel amiraus vaut chaut ai anprenerai *part* croirai vaudrai pesai *gas* aul amiraur communaul venaul maul loiaus *par quart* achetai vasail *Baudas* ai *donast* crorai delai

1. *Consonantia* (gallice *assonance*) rhythmi genus est in quo solius vocalis accentum ferentis ratio habetur, non autem consonantium vocali postpositarum : ut in hac *Alexii* stropha :

> Dreit a Lalice une citet molt bEle,
> Iloc arivet sainement la nacEle.
> Donc en eisit danz Alexis a tErre;
> Mais jo ne sai com longes i convErset :
> Ou que il seit de Deu servir ne cEsset (Str. XVII).

Tum vocalium modo, sed strictissima · hodie et vocalium et consonantium, sed imperfecta, admittitur congruentia.

2. Rectum est *desmailent* quod *desma-il-ent*, id est *desma-ĭ-ent*, pronuntiatur.

desservrai apelai çai demorai plairai anmenai boisaiz estorai *mai* faut.

Quænam est longæ hujus strophæ consonantia? *au*, an *ai*, an *e*, an *a*? Unde vocalium diverse sonantium turbida illa atque incomposita series? nisi quod unus prisci gallici sermonis sonus *a* in lotharingico, prout diversa sequitur consonans, diverse afficiebatur? Tota hæc strópha si in gallicum idioma vertetur, statim sanabitur consonantia : *arc gart eschac despart loast amiral Ausa parla estora loials principal amirals valt chalt a anprenera part croira valdra pesa gas al amiral communal venal mal loial part quart acheta vassal Baudas a donast croira dela deserra apela ça demora plaira aamena boisals éstora mal falt.*

Str. 32 : deaubles barnaige *pensates Jaque facent* veritauble maule auques, eodem modo corrigi debent in *deables barnage pdnsastes Jaque facent veritable male alques.*

Str. 33 : *pesmes pucele* apale *debonaires novele* sale *estre deputaires Perse requierent testes estre terre Bisterne aielme serres aberge* sale *pucelle estre* novale. Si pro lothar. *apale sale novale* legeris gall. *apele sele novele*, recta fiet consonantia.

In str. 37 pro : loiaul contrevaul laisai *parz* laisait *Liemart* versauz ai demorai andossai ai anpoignai chevaul aloerai aurai, lege : *loial contreval laissa parz läissast Lienart vassals a demora andossa a anpoigna cheval aloera aura.*

In str. 48 cujus consonantia est *u*, corrige lothar. *voltui* in gall. *voltu.*

Str. 49 : *France grande* Bretaigne *lances* esparniace *poisance lances demorance atante creance* Bretene Aulemene *France sanblance poisance chanbre grande* esparniace *antandent omnipotantes France sanblance esciantre tranche*[1] *chanbre mande France anblent* montaigne *Oriande recommance randre France esciantre lances grande poisance demande.* Facillime gallicas consonantias restitues : *Bretagne esparniance Alemagne montagne.*

Str. 54 ejusdem generis ac str. 22 est : in qua consonantia *a*, *ai*, *au* præbet quum vocabula gallica semper et ubique in *a* sonent : *Pinar part tresfinas* (nec *tresfinais*) *caifas amirals* (nec *amiraus*) *a ja conpara antra* (nec *ai jai* etc.) *baisa la* (nec *lai*) etc.[2]

1. Sic corrigendum *taile*, errore scribæ in textum admissum.

2. In hac stropha duæ sunt non propriæ consonantiæ *jemais* et *Persis*, errore procul dubio alicujus scribæ; de quibus vide infra, p. 20 et 33.

Str. 57 : *chartre porchace gabent* autre (lege *altre*) *acoitates apre*.

Str. 60 (cf. str. 33) : *tertre* bale (sed gallice *bele*) *averse* apale (gallice *apele*) *celestre elmes terres averse gaires teste fare* (gallice *faire*) *belle senestre estre onestes* sale (gallice *selle*) *damoisele* Tudale (gallice *Tudele*) bale (gallice *bele*) gonnale (gallice *gonnele*) *pucele*.

Strophæ 65 consonantiam item, ubicunque turbata est, gallicus sonus restituit : *pesme areste testes seles perde celvales* (converte in gallicum *cerveles*) bale (gall. *bele*) *rene geste teste ansestre conquerre honeste Bisterne maitre fontenale* (gall. *fontenele*) *terme teste terre elmes* Castale (gall. *Castele*) *pesmes Perse terres estre guere apressent laisent pucelle averse pesmes oneste* vantale (gall. *vantele*) *averse desserre novele* sale (gall. *sele*) *Palerne terre averse Perse faites teste desserre* moilent (gall. *meslent*) *presse Bisterne perde terre rene damoiselle testes pucelle* prouoce (gall. *proece*) *detraversent presse averse*.

Str. 71, et ultima : consonat per *é*: sed lotharingicum *vauroiz* consonantiam turbat; cujus in locum si legeris gallicum *verrez*, iterum observabitur metri lex.

Ex his patet gallicum scribæ oculis obversatum fuisse textum, quem dum transcribebat, lotharingico quodam colore hic et illic non poterat quin inficeret. Inde textus ille quem jure *hybridam* dicas.

Nunc inquirendum quo tempore opus conficeret lotharingus scriba.

Codex quem asservat Monspessulanensis bibliotheca, ut e scriptura patet, sæculo xiv° exaratus est, a duabus personis confectus. Aliam enim foliorum 1-19 et 27-56 scriptura, aliam foliorum interjacentium 20-26 arguit manum. Verisimile igitur est Monspessulanensem codicem vetustioris codicis exemplar esse. Etenim inter duas has codicis partes nullam, quod ad linguam, discrepantiam invenire queas, quum hic et illic idem sit ambarum dialectorum, iisdem pro portionibus, temperamentum; quod sane mirum esset, si duo scribæ gallici textus, non dico in lotharingicum absolute et integre convertendi, sed quodam lotharingico colore inficiendi idem opus tentavissent. Pars una plures quam altera lotharingicas formas præberet.

Qui nunc igitur exstat codex, qui e Lotharingia in præsidentis Divionensis *Bouhier* bibliothecam transivit, et post varios erro-

res Montempessulanum [1] adiit, duorum loth. scribarum opus est qui vetustius gallico-lotharingicum exemplar, sæculo xiv°, transcribebant. Quod exemplar hodie amissum seu ipso xiv° sæculo seu antea xiii° exaratum esse potest, a lotharingo scriba qui gallicum anteriorem textum in suum idioma vertere tentabat.

Quod ad Monspessulanensem codicem, de quo solo judicium ferre possumus, animadvertendum est non solum linguam *hybridam* esse, sed et grammaticas regulas quaque pagina violatas esse.

« L'orthographe en est fort irrégulière », jure dicunt *Floovantis* editores. Nulla flexuræ cura, ut paucis exemplis dijudicare licet : quamlibet paginam interrogare possumus ; ultimas igitur consideremus strophas 68-71.

2383 En l'ost *cestut* s'an antre, desor l'erme anbrunchié.

cestut pro *icest*.

2389 Et juent as eschas li *cuverz renoiez*.

pro *cuvert renoié*.

2407 A la tor s'en vint droit li vaillanz *chevalier*

pro *chevaliers*.

2408-9 A haute voiz escrie : Lé moi antrer, *portiers*.
E li portiers li dit : Qui es tu, *chevalier !*

lege : *portier chevalier*, aut *portiers chevaliers*.

2412 Le secors li amoine, bien sont .xxx. *miliers*.

corrige *milier*.

1. Fortunam bibliothecæ præsidentis *Bouhier* secutus est iste codex ; quæ, ut familiæ patrimonium, diversis heredibus successit et demum comiti *d'Avaux* qui filiæ præsidentis neptem in matrimonium duxerat. Qui suam bibliothecam abbatiæ Claravallensi vendidit. Sub finem sæculi ultimi, Claravallensis bibliotheca, ut ceteræ monasteriorum bibliothecæ, in jus Reipublicæ cessit, et, anno 1804, *Chardon de la Rochette* et *Prunelle*, a ministro *Chaptal* bibliothecis publicis recensendis præfecti, eam maxima de parte urbi Montipessulano attribuerunt. Prunelle Monspessulanensis erat. — Hæc mihi scribit amicus *A. Boucherie* Monspessulanensis, qui me quoque de duplici codicis scriptura certiorem fecit.

2416 Que *Sarazins* estoient montez plus d'un milier.

lege *Sarazin.*

2421-2 Por Floovant son *filz* ot lou[illegible]our mout irié
Et dolant que il fut fors de France *chacié*

lege *fil* et *chaciez.*

Sic 2433 et 2438 : lege *chevaliers* pro *chevalier,* 2440-1 : *essaili vaincu, detrainchié* pro *essailiz vaincuz detrainchiez;* 2444 : *son fil* pro *son filz;* 2450-51-52-57-58 : *Sarazin Franc Escler até,* pro *Sarazins Frans Esclers atez;* 2464-5-6 : *antrecontré doné estroué* pro *-ez;* 2466 : *escu* pro *escuz*, *frait* pro *fraiz;* 2471 : *tes pere* pro *ton pere;* 2483-5 : *Franc Auleman Sarazin* pro *Frans Aulemans Sarasins;* 2496 : *garanz Mahons Tavergans* pro *garant Mahon Tavergam;* 2498-9 : *paien Bavier Auleman* pro *paiens Baviers Aulemanz;* 2503 : *li* .II. *fil* pro *les* .II. *filz;* 2506 : *Sarazin et Persan* pro *Sarazins et Persanz;* 2514 : *menant* pro *menanz;* 2517 : *eschacs Franc* pro *eschac Frans.*

Ab his cetera disce. Orthographiam poematis omittimus quæ admodum rudis, ut supra vidimus, loth. redolet sermonem [1].

1. Quum per transcriptiones istas deformatus fuerit noster codex, tot versus claudicare non miraberis : jam quatuor aut quinque correxit Paulinus Paris (*Hist. Litter.* XXVI, p. 18). Hic quosdam restituere tentamus :

13 Se voist lire l'estoire an France, *a Paris;* lege : *dans Paris.*

32 Que il se fist an fonz *tenir et batisier;* lege : *batisier et lever,* ob consonantiam.

79 Et *de sa barbe a* veü tout autretel; lege : *Et de sa barbe r'a,* etc. Hanc correctionem nobis indicat G. Paris, ut quas ad versus 1057, 1501, 1506, 1527 et 1716 proponimus.

134 *Dou forre a trait forst* le branc forbi d'acier; lege : *Dou forrel a trait fors,* etc.

236 Ahi! baus sire Dex, *com j'estoie ier riches!* lege : *come j'estoie ier riches.*

278 Bien voi que vous l'avez *enblee ou ravie;* lege : *ou enblee ou ravie.*

416 Il a traite l'*espé;* lege : *espée.*

427-8 Dam[e] deu reclama le pere omipotant.
Qui garise son cors de mort et de tormant, lege *qu'i;* cf. 84 175 286 347 575 606 608 645 857 930 1355 1365 2267, etc. etc.

437 *Elle le vit* bel et gant e hardi chevalier; lege : *El le vit,* etc.

456 Et ton lous *et* conquerre et ton prou porchacier; lege : *a* conquerre. Attamen forsan *et* lotharingica et prava pro *e* = *ai* = *à* orthographia.

556 *torneit* lege *torneis.*

Quocumque modo res sese habeant, sive codicis Monspessulanensis, sive vetustioris lotharingici quem hic repræsentat, scribis sunt orationis mendæ et pravitates referendæ, de hoc textu

573 Voire, ce dit Richiers, *oneques si bel ne vis*; lege : *onc si bele ne vis*.
586 et 591 .I. Turs d'eluic se par, dolanz et *irascus*.

Ou qu'il vit le paien, qui moult fu *corociez*. Duo isti versus in stropha versantur quæ consonat per *o*. Pro *irascus* et *corociez* lege : *coroços*.

701 Lai trova l'amiral *Galienz le vis fier*; lege : *Galien au vis fier*.

728 Ausi li lut la teste *comme cierge ambrasez*; lege : *com cierges ambrasez*.

1010 *Si l'asiet au diner*, lege : *si au diner l'asiet*, quo correctior sit consonantia.

1057 Si tressaï *li rois*, lege : *le dois*, id est : *transilit discum*.

1060 *Por la foi que vous doi, ja ne vos mantirai*, lege ob consonantiam : *ja ne vos m. por la foi que vos doi*.

1130-1 *Or pri-je à celui* qui fu mis en la croiz,
Que mon cors me desfande *de honte et d'enoi*; lege : *or je pri à celui* etc. : *et de honte et d'enoi*; vide infra, p. 24, n. 1.

1189 Quant Emelons l'antant *si plore et sopir*: lege : *si plore et si sospire*.

1332 Tu la me *donas, belle file* le roi d'Ausai; lege : *donas belle, file*, etc.

1340 *Saichiez* s'i me voient ici à vos parler; perperam editores : *saichïez*, quod barbarismum jure voces; lege : *ce sachiez* etc. ; cf. 1487 : *ce* saichiez vos por voir.

1353 Son seignour en donai, *qui* le mestier en fut; lege *cui*, etc.

1400 Don vos morez tres tut à m'espée qui *taile*; lege *tranche*.

1480 *Mes peres* an a .XII.; lege : mes *père* or an a .XII.; cf. infra, p. 25.

1484 Jai par moi *n'ierez*: lege : *n'i ireiz* (iroiz).

1500 Don il *n'itront jemais*; lege : *ne itront ja*.

1501 *Joie ont de Richier*; lege : *Joie r'ont de Richier*: editores perperam *joie ont de Richïer*.

1504 Quant *elle* ne voit Richier; lege : quant *el*, etc.

1506 *Elle ot* une crote; lege : *ele sot*, etc. vel *Illuec ot*.

1527 « Que de Persie estiés, dou rené de *Persis*. » Qui versus in stropha versatur cujus consonantia est *a*. Unde corrigendus est : quem si cum versu 1268 conferas, legendum forsan putes : « Que de Persie estiés, *et qu'as a non Maudras*. »

1547-8 Mas il avoit .II. fiz cuvers et soduanz.
Qui tut nos ont vanduz à l'amiraul *Persis*. Lege : *Persan*; cf. v. 1814 : *li amiraus Persanz*.

1569-71 Elas! ce dit Richiers, com sumes *anginez* (= anginiez)
La file l'amiraul vos ai toz *escoutez*.
Le matin par son l'aube sarons trestut *panduz*. Lege *anganez* pro *anginez* et *tuit encroez* pro *trestut panduz*.

Idem legendum est *angané* v. 86.

1585 Ou *qu'it* vit Floovant; lege : ou qu'*el* (= elle).

1622-23 Puis li a demandé : « Don venez, belle file ?

satis dictum est, quum per lotharingicum ad gallicum textum pergere nostrum sit propositum.

Amaudros, ton cosin, piec'ai que ne veimes. — Paulinus Paris jure corrigit : Donc venez, belle fille, A Maudras, ton cosin, etc.

1624 *Sire, il est melaides* en sa abergerie ; lege : *il est malades, sire,* en sa habergerie.

1679 A la chiere *ardie ;* lege : *hardie.*

1722 A mon *espée* forbi ; lege : *espié.*

1745-6 Vos revenez de Rome, si estes *penanaz.*
Cist vos aurai mestier sor *mon maitre,* à Paris. — *Penanaz* quomodo corrigendum sit me fugit.

Quod ad sequentem versum, lege *sor Monmaitre,* vel melius *sor Monmartre ;* cf. v. 1827.

1762 Ja ai ici *un* dras ; lege *uns* (= unos).

1795-6 Lai ou la file *est* au riche roi Flovan.
Des *contraïres, sire,* me dot je mout formant. Lege : *r'est : contraires, beau sire.*

1818 .I. *riche* amirauble. Legendum forsan : .I. *poissant* amirauble.

1861 Ovec aus n'es*t* elle pas ; lege seu : *o* aus n'es*t* elle pas, seu : ovec aus n'es*t el* pas.

1981 Je *ann oocis* l'un ; lege : je *an ai ocis* l'un.

2060 Se *moilent,* lege : se *meslent.*

2070 A force, a prouoce, lege : a force *e* a prouoce (prouece).

2239 Mas n'en puis *doues* avoir, que la loi lou desfant (duas scilicet uxores) ; lege *dous,* quanquam *doues* (= duas) etymologiæ congruit. Etenim, v. 250, invenitur *doues : que an* doues *parties trestot ne porfandise.* Sed *dous* solet utriusque generis esse.

2246 « Que je ne vos secore a .XL^m. Frans. » — Numerus XL^m falsus est, quia versum longiorem dat : *a quarante mile Frans.* Sed vide notam ad v. 2345.

2275-6 Por les degrez de mabre est montez ou *plainchier.*
Et demande et anquier de Floovant lou *ber.* Lege : *ou plainchier est montez.*

2345-6, 2433 De .XV^m. qu'i furent, je vos di por verté,
N'an eschape que .C. des glotons parjurez.
Au secors vos amoine .XXX^m. chevalier.

In istis versibus, ut in versu 2246, numerus claudicare versum cogit. Num legendum est, hic : XX^m ; illic : X^m vel V^m ? sed versus 2422 fert : bien sont .XXX. miliers. Ita ut, quanquam textuum retractatorum mos sit numeros pugnantium semper ac semper adaugere et multiplicare, tamen hic legendum, minus correcte, *mil* putem.

2520 Moult demoinent grant joie, ja plus grant ne *vauroiz,* lege *vaurez* ut versus cum cœteris consonet.

Cap. IV.

Quando gallice Floovantis textus scriptus fuerit.

Gallicum illud poema quod scribæ lotharingici in suum idioma incomposite transferre tentaverunt, quo tempore fuit scriptum? Ad finem sæculi XII°, vel forsan antea, nullo modo serius.

Etenim consonantia adhuc, necdum *rhythmo* utitur noster textus. Ad finem autem sæculi XII consonantiæ locum occupavit *rhythmus*, unde facta est immensa illa gallicorum poematum renovatio ac retractatio, per quam plurima miserabile corrupta et deformata fuerunt ; nullum adhuc repertum fuit poema in consonantiis scriptum quod post quartam sæculi XIII partem compositum fuerit.

Nunc ipsas consonantias interrogemus.

Jam supra stropham 22 vidimus cujus consonantiæ subest sonus *a* : demonstravimus voces restituendas *amirals loials principal valt chalt al communal venal mal falt*; str. 32, 54, 57 restituimus etiam *male alques amirals naturals altre*. At pronuntiatio *al* in hisce vocabulis sæculi XII fine anterior est, quum ad finem hujusce sæculi mutata fuerit in *au* et hoc demum tempore in rhythmis apparere incipiat.

Noster igitur scriptor, poema quum conficeret, nondum finem sæculi XII attigerat.

Ad consonantiam *oi* transeamus quam præbent str. 15, 36, 39 et 53.

Ubique hæc syllaba *oi* ex *ē* vel *ī* latino oritur, nusquam ex *o* : res sane consideranda nec parvi momenti.

Str. 15 (12 versus [1]).

cortois	* cortēsem
paulefroiz	paraveredum
poiel (poil)	pīlum
avoir	habēre
roi	regem
viannois	* viannēsem
voir	vērum
pardonnoiz	* perdonetis
soit	sĭt
pansoiz	pensetis
foi	fĭdem

Str. 36 (47 versus).

soi	sē
destroit	distrĭctum
tenoit	tenēbat
froit	* frĭgidum
doi	dēbeo
moi	me [2]
brueroi	* brucar-etum
boufoi	*antiquius* boufei
conroi	* con-rēdum
droit	directum
demenois	* de-mane-ĭpsum
desfoi	* de-ex-fĭdem
borgois	* borgēsem
noir	nĭgrum
parleroiz	parabolare-habētis
remenoir	remanēre
saroit	* essere-habēbat
croi	crēdo
desroi	* de-ex-rēdum.
poroiz	* potere-habētis
estoit	* estēbat

Str. 39 (54 versus).

croix	*crŭcem*
enoi	*in-ŏdium*
povoir	potēre
donrois [3]	donare-habēbam
apo gnoit	* ad-pungēbat
soir	sērum
Torcois	* Turcēsem
voit	vĭdet
paroir	parēre
Saracenois	* Saracenēsem
Grezois	* Grecēsem
pois	* pēsum
plois	* plĭcitum
decoroit	decurrēbat
adroiz	ad-dirēctus.
itroit	exire-habēbat

Str. 53 (17 versus).

soioir	sedēre
avoit	habēbat
foiz	vĭcem
François	* Francēsem
auroiz	* habere habētis
trois	trēs
arsoir	heri-sēro
vooir	vidēre [4]

1. Vocabula, pluries repetita, brevitatis causa, semel affero.

2. Versus 1060 : *Por la foi que vos doi ja ne vos mantirai* corrigi debet : *Ja ne vos mantirai por la foi que vos doi.*

3. Versus 1142 quomodo corrigendus sit me fugit : *Jemais n'aurai mestier a nul jor desor ciel.* De quo vide infra, p. 32, n. 1. Vide etiam de versibus 1160, 1162.

4. Hic leguntur vocabula *recouvrerez ierez* quæ in *recouvreroiz ieroiz* = *recuperare-habetis, ire-habetis* corrigenda sunt.

Igitur in summa 130 versuum et 55 diversorum rhythmorum, *duo* tantummodo vocabula invenimus quorum syllaba *oi* ab *u* vel *o* latino originem ducat; cætera autem ab *ē* vel *ī*. Unde hoc?

Nunc vero poema quodlibet in sæculo XIII scriptum interrogemus : *Doon de Mayence*, exempli gratia : p. 59 et 60, ex 38 versibus in *oi* consonantibus, 26 sunt in quibus syllaba *oi* ab *e i* deducitur, 12 vero in quibus a latino *o* orta est.

In *Huon de Bordeaux*, quod in fine sæculi XII aut initio XIII scriptum esse omnes consentiunt, p. 166 legitur stropha 8 consonantiarum quarum quatuor *e*. *i* agnoscunt, quatuor autem *o* (*auat avat abat*).

Quid hoc sibi vult? Constat *ē ī* vocales, quoties solæ sunt aut sequitur palatalis consonans, in prisca lingua diphthongum *ei* protulisse, quæ nativum sonum usque ad mediam sæculi XII partem servavit; tunc in *oi* mutari incepit primum in Picardia, dein in Burgundia, et in Francia demum; Normandia salva ab hac alteratione fuit. In Francia, ad finem sæculi XII *ei* sonabat *oi*, ita ut poetæ istum sonum *oi* cum genuino et primitivo *oi* ex *o*, *u* vel *au* orto in rhythmo aut in consonantia conjungere non dubitarent; in pronuntiatione enim recens illud *oi* ab altero non discernebatur. Inde rhythmi quos legere est in *Doon de Mayence*, *Huon de Bordeaux*, etc.

Sed plerique codices quos adhuc servamus sæculo XIII scripti sunt. Idcirco quum scriba poema quoddam sæculi XII transcriberet in quo occurrebat stropha per *ei* consonans, ubique *ei* in *oi*, ut scriptura prisca cum nova pronuntiatione congrueret, convertebat.

At in nostro textu, quatuor strophas invenimus in *oi* consonantes, quarum tres antiquiorem sonum *ei* indicant, quarta autem pronuntiationem *ei* = *oi* in duobus modo vocabulis demonstrat. Quid ex hoc concludendum est, nisi poema scilicet eo ipso tempore scriptum fuisse quo gliscebat et propagabatur diphthongi *ei* nova ponuntiatio *oi*; scilicet decrescente sæculo XII [1].

1. Notandum est duos versus qui (str. 39) consonantias *croiz* et *enoi* afferunt, deficiente quadam syllaba, claudicare :

> *Or pri je a celui* qui fu mis en la croiz
> Que mon cors me desfande *de honte et d'enoi*.

Ne tamen temere credas corruptum ita fuisse hunc locum ut consonantia

Quam conclusionem confirmat aliud præterea argumentum. Tres hosce versus consideremus :

v. 509 Vostre *peres* ai o li mai*nz* chevalier*s* vailanz.
709 Nostre *peres* est deaubles [1], ne povons avoier.
976 Li dux fut *peres* au mort Emelon de Baviers.

Longiores esse vides ; patet pro *peres* scribendum esse *pere*.

Nostre pere ai o li mai*nz* chevalier*s* vailanz.
Nostre *pere* est deaubles, ne povons avoier.
Li dux fut *pere* au mort Emelon de Baviers.

Vocis autem *pater* declinatio in prisca lingua non simplex fuit. Sæculo XI hoc erat paradigma :

Nom. sgl. *li pedre* (páter)	Nom. pl. *li pedre* (* pâtri)
Acc. sgl. *le pedre* (pátrem)	Acc. pl. *les pedres* (* pátros)

A prima linguæ origine nom. pl. fuit *li pedre,* non autem *li pedres*, ideo procul dubio, quod in rustica latina lingua pluralis declinatio declinationi *muri muros* assimilata fuerat.

Sæculo XII idem est paradigma :

Nom. sgl. *li pere*	Nom. pl. *li pere*
Acc. sgl. *le pere*	Acc. pl. *les peres*

Dicebant autem :

li murs	*li mur*
le mur	*les murs*

Sed, sub finem sæculi XII aut initio sæculi XIII, nomin. sgl. *li pere* nominativo *li murs* assimilatur, ita ut declinatio fiat

li peres	*li pere*
le pere	*les peres*

tanquam latina vox fuisset *patrus patrum patri patros.*

totius strophæ primum legitima duceretur ; nam facile corriguntur hi versus :

Or je pri a celui qui fu mis en la croiz
Que mon cors me desfande *et* de honte et d'enoi.

1. Lege *de-aubles :* cf. v. 887 : « Quant entendi li rois de ses fils les *deaubles.* »

Tres igitur isti versus tempus produnt quo nomin. sgl. vocis *pere* prisca regula regebatur, XII scilicet sæculum.

Ut breviter argumenta nostra repetamus, Floovantis textus eo tempore scriptus fuit quo consonantia nondum rhythmo cesserat, quo *al* consonans nondum *au* sonabat, quo *ei* in *oi* converti incipiebat, necdum declinatio vocis *pere* declinationi vocis *mur* assimilata erat, hoc est, ut *extremum* capias temporis limitem, ad finem sæculi XII.

Cap. V.

Floovantis textum, gallice scriptum, e quo noster manat, ipsum non nativum et genuinum esse, sed vetustioris amissi quamdam esse retractationem.

Adhuc usque demonstravimus, 1° textum quem Monspessulanensis codex exhibet lotharingici scribæ opus esse qui textum gallicum in suum sermonem traducere tentaverit; 2° gallicum textum ad finem sæc. XII scriptum esse. Nunc longius procedere licet, et caute interroganti suam ipsius historiam codicis nostri textus facile declarabit.

Postquam *externam*, ut ita dicam, textus condicionem scrutati sumus, nunc *interiorem* (non quidem adhuc intimam), penetremus. A narrationis verbis, non ad narrationis res, sed ad rerum seriem, ad narrationis ordinem transeamus.

Neminem fugit nostrorum epicorum poematum textum pluries renovatum et retractatum fuisse, quum scribæ nunc versus et strophas primævo operi intacto adderent, nunc consonantias in rhythmos transformantes, totum opus deformarent et tanquam novum redintegrarent.

Si Floovantis textum accurate legeris, patebit eum ita retractatum fuisse ut novam redactionem simul cum primitiva hic et illic proferat.

Proœmium legamus :

Seignors, or escoltez, que Deus vos soit amis [1],
.III. vers de bone estoire, se je le vos devis,
Del premier rei de France qui crestïens devint.
Cil ot nom Cloovis, si com truis en escrit;
Plus de .XX. et .VI. anz fu li reis Sarazins,
Et ne trova nul home, se il en Deu creist,
Qu'il ne volsist ocire et les membres tolir,
Ou pendre en haltes forches ou destraire à roncins.
Damedex l'ama tant, li reis de paradis,
Que il se fist en fonz batisier et tenir;
Ce fu en dolce France, el moustier Saint-Denis;
Et qui ice voudra à mençonge tenir,
Se voist lire l'estoire en France, dans Paris.
Cil Cloovis fu reis et proz et posteiz;
De sa franche moiller ot .IIII. filz gentis.
Li aisnez ot en nom Floovent le marchis:
A celui commanda à garder son païs,
Et trestote la terre, que en pais [2] le tenist.
Por .I. mesfait en fut puis einsi malbailiz,
Plus de .VII. anz en fut li ber puis en essil,
Que il n'entra en France, ne nus hon ne l'i vit.

Hic credas finem esse exordii et narrationem statim incipere :

Ce fut a Pentecoste, une feste en esté,
Que reis Cloovis fut à Paris la cité;
XIIII. reis i furent avec lui coronez, etc.

Sed inter proœmium et narrationis initium leguntur hi versus :

Or entendez, seignors, por Deu de maiesté,
Le glorios del ciel qui en croiz fu penez,
Del premier rei qui fut en France coronez,
Qui premierement tint sainte crestienté :
Celui fut par son nom Cloovis apelez;
.XX. et .VI. anz et plus fut Sarazins clamez,

1. Lotharingicum textus colorem versibus in hoc capitulo allatis ademimus, et linguam sæculi XII restituimus.

2. Sic legit Paulinus Paris : textus *pié*.

Ne ne trovoit nul home, si fut crestienez,
A qui il ne féist toz les membres coper,
Ou pendre à haltes forches, ardoir ou traïner.
Damedex l'ama tant par la soe bonté
Que il se fist en fonz batisier *et lever*,
A Saint Denis an France, qui tant fait à loer.
Icil reis Cloovis fist molt à redoter.
De sa franche moiller ot .IIII. filz li ber,
Il fit trestot l'aisné Floovent apeler :
A celui commanda sa terre et son regné,
Et que enprès sa mort en fust reis coronez.
Por .I. mesfait en fut puis isi malmenez
Que plus de .VII. anz fut fors de France jetez,
Que il n'i osa oncques ne venir ne aler.

Idem est procemium ; idem fere versus ; eædem locutiones ; consonantia solum mutata est.

P. 3 et 4 : magister ab adolescente Floovente dehonestatus minas iratus profundit.

86 « Damoiseals debonaires, mal m'avez engané ;
« Maldite seit or l'eure que fustes engendrez !
« Je m'en irai al rei vostre pere clamer,
« Qui vos fera la teste et les membres coper. »
Quant Floovent l'entent, si commence à plorer :
« Merci, fait il, beals maistres, por Deu de maiesté !
« Je vos en ferai dreit à vostre volonté. »
Als piez li est cheuz, si commence à plorer ;
94 Molt li crie merci, mais ne la puet trover.
106 Li dus s'en est tornez, qui le cor ot iré,
Del mantel de samin son chief envelopé ;
Entresi el palais ne s'est mie arestez.

Rapide progreditur narratio, nullo impedimento retardata : Quis hic undecim versus suppressos esse possit suspicari ? Etenim post versum

Molt li crie merci mais ne la puet trover

Hosce versus exhibet textus noster :

« Merci, fait-il, beals maistres, por Deu li dreiturier !
« Je vos ferai dreiture de gré et volontiers,
« Et si vos en donrai .xxx. coranz destriers,
« Et trestot le harneis à .iiic. chevaliers.
« Et de .xv. chasteals vos en croistrai vos fiefs. »
Et respondi li dux : « De folie plaidiez ;
« Je l'irai orendreit vostre pere noncier,
« Qui vos fera ocire et les membres trenchier. »
Atant s'en est tornez, ne prit à lui congié ;
Del mantel de samin enveloppe son chief,
Et est venuz au rei qui France ot à baillier.

Idem argumentum versibus plusquam mediocribus, alia consonantia, retractatum fuit.

P. 14-15 : Richarius vehementer amicum Flooventem increpat quod, dum ceteri Franci cum Sarracenis atrox prælium commiserint, Floovens cum pulchra Maugalia dulces loquelas inierit.

« Vos faites que malvais, quant vos ici plaidiez ;
« Mais alez [1] en sa chambre de plus pres conseilier ;
« Ses conduiz n'i valreit le montant d'un denier.
« Se paiens vos trovoient, vos perdriez le chief.
« E ! diva, malvais hon, com te pues po prisier,
« Que si laisses por la paiens à destrenchier
« Et ton los à [2] conquerre et ton pro porchacier.
« Tu fus chaciez de France por ta grant malvaistié,
« Si n'as or ne argent, palefrei ne destrier,
« Si tu ne le conquiers au fer et à l'acier !
« *Floovens, dit Richiers, molt par estes corteis :*
« *Por neiant avez armes, destriers et palefreiz.*
« *Vos avez gent le cors ; faites pinier vo peil,*
« *Por amors ceste dame avez vos trop aveir.*
« *E ! diva, malvais reis, ja fus tu fiz de rei,*
« *Se n'as ne vairs ne gris, destrier ne palefrei,*
« *Se tu ne le conquiers a l'espée vianneis !*
— « Richiers, dit Floovens, merci, por Deu le veir !

1. Paulinus Paris in *Historia litteraria* (*l. cit.*) corrigit : *Mais, s'aulez*, quæ inutilis est correctio.

2. Textus : *et* ; vide supra, p. 19, sub fin.

« Ne le penserai mais, or le me pardoneiz.
— « Sire, ce dit Richiers, tot pardonez vos seit,
« Mais gardez vos tres bien que plus ne le panseiz.
— « Non, ferai je, Richier, jel vos otrei par fei. »

Nonne notati versus præcedentium imitatio, ridicula sane? Habent vim et nervos hi versus :

Tu fus chaciez de France por ta grant malvaistié
Si n'as or ne argent, palefrei ne destrier
Si tu ne le conquiers au fer et a l'acier!

Quam debiles et exiles isti!

E! diva, malvais reis, ja fus tu fiz de rei,
Se n'as ne vairs ne gris, destrier ne palefrei
Si tu ne le conquiers à l'espee vianneis!

P. 38-40 : Richarius regem Saracenum adit, et se ejus consobrinum mentitur.

L'amirals li respont : « Maon te beneie
« Qui es tu, beals amis? Ne me le celer mie. »
— « Sire, ce dit Richiers, se Mahom me garisse
« Je sui fiz Josué .I. rei de Tabarie. »

Narrat inde ut, per mare iter faciens, a mercatoribus raptus, servus regi Francorum venditus fuerit qui Christianam religionem sequi recusantem, in carcerem conjici jusserit.

« Adonc me fit jeter en sa chartre perrine.
« Maon reclamai tant qu'il m'en fit à delivre.
« Or m'en revoil aler el realme de Grice;
« Mais j'ai oï parler de vo chevaleries;
« Se vos alez en France, je menrai vostre empire. »
Et respondent paien : « Bien a sa raison dite.
— Veire, dit l'amirals, fiz est de ma cusine,
« Malgalie la gente, fame le rei de Grice [1];

1. Textus : *Grece.*

« Qui ne le servira, de m'amor n'aura mie. »
Atant li sont coru et li povre et li riche;
Ja l'eussent baisié quant Richiers lor escrie :
« Seignor, franc Sarazin, ne me baisiez vos mie;
« Mahom et Tavergan en ai ma fei plevie
« Que ne baiserai home, ne parent, ne cosine,
« Ainz aurai morz Françeis de m'espee forbie.
— Cosins, dit l'amirals, onques mais tel n'oïstes;
« J'en ai .i. en prison en ma chartre perine.
« Demain le devons faire detrenchier et ocire;
« Tu i falras premiers, si ert ta fei plevie.
— Sire, ce dit Richiers, por Mahom, le me livre:
« Se je l'ai entre poinz, il tendra male vie. »
(*Str.* 43) Et respont l'amirals : « Com as t[u] nom, cosins?
— Sire, ce dit Richiers, ne vos en quier mentir,
« L'en m'apele Maudras el reigne de Persis. »
L'amirals li respont : « Beal nom avez, cosins. »
Richiers fut en la cort molt amez et cheriz,
Prisiez et honorez entre les Sarazins.
Sore li sont coru li grant et li petit
Qui le voldrent baisier, mais Richier lor a dit
Que nus nel baisera si aura Frans ociz.
« Cosins, dit l'amirals, tu auras ton devis.
« Car je ai .i. Françeis passé a .xv. diz;
« Demain le devons faire detrenchier et morir.
— Sire, ce dit Richiers, faites le mei venir;
« Se je l'ai entre poinz, il tendra male fin. »
L'amirals en apele le chartrier Malapris :
« Montre li le Franceis qui en la chartre gist. »
Et cil a respondu : « Sire, a vostre plaisir. »

Idem argumentum, iisdem fere verbis, in fine strophæ 42 et in stropha 43 explicatur. Supprime versus 1254-1265 et lege versu 1266. *Lors ce dist l'amiraus* pro *Et respont l'amiraus*; an quid ibi deesse sentias? an quid suppressum suspiceris?

Ex his, credo, exemplis satis apparet non genuinum et nativum esse Floovantis textum. Quod demonstrare singulas poematis partes persequendo, nec difficile sit, nec utile jam credo. Hinc fit clarum, quod usque adhuc obscurum, mediis in strophis

sæpissime versus unicos cum ceteris non consonare; affero, exempli gratia, str. 44 quæ per *ant* consonat :

« Fiz à putains, glotons, lechierres, malcuidanz,
Por l'amors de celui perdras tu ja le *chief.* »
Il a traite Joiose de son senestre flanc ;
Le paien en ferit .i. grant cop maintenant
Que tot l'a porfendu dusque al neu du *braier*,
Puis regarde sor destre, vit .i. desruban *fier*,
Une crote sor terre, que firent *aversier*,
Boz i a et calovres, tortues et serpanz, etc,

Eas esse *sæpissime* (*semper* non affirmaverim) priscarum stropharum reliquias libenter crediderim, quas interpolator suis consonantiis adaptare non calluerit [1].

Poematis stylum nunc concisum, nitidum, elegantem, et vi pollentem, nunc diffusum prolixumque tam male sibi constare non jam mirandum, quum primitivum opus ab interpolatore misero modo deformatum fuerit : vis auctoris est; garrula debilitas, interpolatoris.

Hinc etiam quod quædam in fabula inter se vix cohærent.

Castellum Sarracenorum quod obsident Franci ubique nomen habet *chastel Avenant* (v. 477 527 536 546 837) ; in unico versu 593, nescio quo modo, fit *chastel Orgoulus* : « Quex noveles ourons dou chatel *Orgoulous?* » Quid sibi vult hæc vox? Nota versum istum in stropha xx versari quæ duos versus (585, 586) jam continet quorum consonantia prava est.

V. 1427 : Unus e duodecim Floovantis sociis *Angelier de Bordele* fit versu 2097 *Angelier de Loon.*

Cloovis, passim rex Franciæ dictus, rex *Monloüm* in versu 1442 dicitur : « Jo sui fiz Cloovis le roi de *Monloüm.* »

Auctoris narrationem ita ab interpolatore mutatam esse ut jam non agnosci possit, non equidem credo; quia duodecimo sæculo non jam ita adulterata erant poemata ut tanquam nova redintegrarentur : xiii et xiv modo sæculo sic retractantur poemata ut et auctoris stylus et ipsæ priscæ fabulæ prope evane-

1. Hæc est omnium male consonantium nec correctorum (p. 19 et sqq.) versuum indicatio : 145 585 685 839 (respit lor otroiez?) 986 1004 1030 1142 1160-2 (1252 *Grece* corrige in *Grice*; cf. 1247) 1309 1745 1894 2299 2479.

scant. Quasdam tantummodo strophas hic et illic seu retractatas seu additas fuisse, et, si summam poematis consideraris, non ita a textu primitivo Monspessulanensis codicis fabulam abhorrere credendum est.

Ipsum autem primitivum textum medio sæculo xii° scriptum esse verisimile est, quum inter 2533 versus e quibus constat poema nulla priscioris linguæ vestigia remaneant [1], qualia præbent textus sæculi xi et xii ineuntis. Tantummodo str. 54.

Cil li ovrent la chartre et Richiers i entra [2];
La où il vit les contes uns et uns les baisa,
Et grant joie et grand dueil ont il demené la.
Dueil ont de la prison dont il n'itront *jamais*
Joie r'ont de Richier qui trovez les a la.

Vocabulum *jamais* consonans cum *a,* pronuntiationem *jamáis* (non autem *jamès*) declarat; quæ sæculo xii ineunte adhuc vigere potuit. Sed quum facillime corrigi possit versus *dont il ne itront ja,* nihil inde colligendum est.

Poematis autem auctor procul dubio carolinga poemata novit et imitatus est; duodecim enim socii quos Floovanti dat duodecim *Pares* in mentem revocant [3]; nec poemata de *Willelmo Arausionensi* ignoravisse videtur cui, ut credo, alludit, in his versibus :

Onc plus sage de lui ne tint espee à flanc [4]
Ne nus plus poissanz d'armes, en estor fort et grant,
Fors Guillelme au cort nez, *qui tant fu combatanz*
Contre paiens felons, que onc n'ama neant (v. 2263-2266).

Signum *Monjoie* quod proprium fuit Caroli Magni [5], Floovanti attribuit; vide præsertim v. 1952.

1. Quod non raro accidit, scribis per incuriam priscam orthographiam hic et illic sæpius servantibus.
2. Vide notam 1, p. 27.
3. Vide tamen p. 113.
4. Vide p. 27, n. 1.
5. De quo vide, Marius Sepet, *Le drapeau de la France*, p. 21 et sqq., 269 et sqq.; G. Desjardins, *Recherches sur les drapeaux français*, p. 1-8, et

His, non dico testimoniis, sed indiciis si inniti licet, gallicum Floovantis poema nondum in priori sæculi XII parte scriptum erat; quum in posteriori ejusdem sæculi jam a scriba deformaretur, medio sæculo compositum esse videtur: quod quin admittamus nihil repugnare video [1].

Ex nostra disquisitione patet:

a. Medio sæculo XII Floovantis poema a gallico auctore compositum esse.

b. Ad finem sæculi XII a quodam scriba interpolatum aut retractatum esse.

c. Textum ita deformatum in lotharingicum sermonem a lotharingo scriba imperfecte traductum.

d. Hoc tertium exemplar a duobus aliis scribis sæculo XIV transcriptum esse. Hinc manat mutilus codex ille qui, in Vosegiana regione confectus, in præsidentis Bouhier, Divione, bibliothecam pervenit, unde, varios post errores [2], Montempessulanum attigit, ubi nunc in Scholæ medicinalis bibliotheca asservatur.

Quum codex iste tres anteriores codices, ut *minimum* capiamus numerum, supponat, non ita ignobilem medio ævo per Franciam Floovantis fuisse fabulam credere est.

notas quas subjecit Léon Gautier versibus 3092-3095 in suis *Rollandi* editionibus.

1. Cf. infra, pars III, initio.
2. Vide supra, p. 18, n. 1.

PARS II.

De Floovantis fabulæ variis versionibus vel imitationibus.

Non in Gallia solum vulgata et celebrata fuit Floovantis fabula, sed, ut cetera veteris Galliæ poemata, in varias Europæ partes penetravit, in Scandinaviam, in Hollandiam, in Italiam. In Italia præsertim miram sortita est fortunam. Exstant adhuc versiones islandicæ, hollandicæ, quæ sive nostrum, sive similem admodum nostri textum referunt. Exstant etiam italicæ fabulæ quæ cum nostro poemate congruunt.

Si quis ista documenta paululum consideraverit, ea a gallico fonte emanare non dubitabit. Galliam enim per medium ævum vicinis gentibus suas litteras, poemata sua attulisse ; illorum autem totam christianam Europam imitatricem fuisse, neminem hodie fugit.

Quid inter has Floovantis versiones et imitationes intersit et quomodo utræque a gallicis textibus deductæ sint, in hac parte indagari propositum habemus. Ante omnia *Floovantis* argumentum exponendum est.

Cap. I.

Floovantis gallici argumentum.

Cloovisio Francorum regi qui primus christianam religionem amplexus est, quatuor erant filii quorum maximus natu

Floovans magistro suo *Senechal* dormienti barbam, in dedecoris signum, totonderat. Quod ob scelus capitis damnatum pater, precibus matris commotus, septem annos e Francia exterminat. Proficiscitur Floovans, cui amicus Richarius, e venando reversus, non recusante regina, exsilii participem se offert. Cloovisius autem et principes, Senechalis vicem dolentes, sibi barbam tondent (versus 1-233).

Dum Floovans, Francia relicta, per Ardennas iter facit, christiano regi *Ausæ* [1] *Floro* [2], quem Sarraceni ob rejectam Mahumeti fidem obsidebant, operam navare statuit; ecce autem tres Sarracenos puellam ferientes adspectat; in quos ruit, et, duobus occisis, tertio fugato, puellam liberat, *Floretam* nomine, regis Flori filiam, cum qua ad civitatem *Belfort,* ubi habitabat Florus, tendit (234-313).

Interea Richarius, Floovantem quærens, Sarracenum obvium habet quem Floovans fugaverat; illum de Floovante interrogat et mortem sibi minantem interimit (314-347).

Floovans autem immanem paganum, Galieni regis filium, *Fernagu* nomine, offendit, cui fingit se gregarium militem e civitate Monloone ortum, filiam siniscalci *Disderii* (Didier) ad sponsum ducere. Quum Fernagu puellæ stuprum minaretur, inter paganum et Floovantem horrendum oritur certamen, quod eventu quum dubium esset, occurrunt quatuor Turcæ (348-432).

Hic desunt multa, quatuor aut forsan octo codicis foliis amissis in quibus, ut e fabulæ tenore liquet, narrabatur Floovantem, Floretamque et Richarium, varios post casus, ad Florum Ausæ regem pervenisse; Floovantem autem et Richarium cum exercitu ad obsidendum Sarracenorum castellum *Avenant* a rege Floro missos esse.

Ubi narratio repetitur, Sarraceni ex oppido erumpentes a Floovante, Richario, Urbano Alemanno et aliis cæduntur. Maugalia autem, filia Galieni Sarracenorum regis, Floovantem fortiter pugnantem admirata, adamat. Franci victores ad Florum redeunt. Rex eis gratulatus, Floovanti quem pro paupere milite et ignobili habet prædam offert quam inter milites hic distribuit (433-503).

1. *Ausa* est *Alsa* = *Alsatia*, id est, Austrasia.
2. In textu aliquando *Florens* vocatur.

Floreta vero, liberatoris amore incensa, et Maugalıæ amoris non ignara, Floovantem precatur ut ardori suo respondeat. Sed Floovans eam derelinquit, et cum Urbano Alemanno et Richario, castellum *Avenant* aggressurus. proficiscitur. Sarracenis devictis et in flumen Rhenum dejectis, castello direpto, Maugalia capta ad Floovantem ducitur. Galienus autem qui *Balmæ* habitat, de Fernagu filii et aliorum cæde, de castelli direptione Maugaliæque raptu certior factus. ultionem parat (504-616).

Florus cum filiis filiaque castellum occupat, Floovantique natam in matrimonium offert, quam aspernatur juvenis; tum Floreta, ira percita, Maugaliam conviciis onerat. Rex dein civitatem *Beaufort* repetit cum natis, castellumque Floovanti committit (617-680).

Sed duo Flori filii *Maudaran* et *Maudoire,* prava æmulatione Floovanti infensi. patrem prodere non dubitant; Galienum adeunt, christianaque fide rejecta, coram Mahumeti imagine, se Galieno castellum et Floovantem Richariumque tradituros pollicentur (681-759).

Etenim castellum a francicis custodibus Flori filiis apertum Sarraceni invadunt : Floovans Maugaliaque capiuntur, dum fugit Richarius. amici gladium *Joyeuse* quem servare potuit ferens. Floovans ad civitatem *Balme* abductus, in squalidum carcerem projicitur, donec supplicio, post decem dies, coram Sarracenorum exercitu, afficiatur (760-858).

Interea Richarius ab Urbano moribundo Floovantis sortem edoctus, regi Floro adversas res nuntiat et, dolore percitus, proficiscitur, amicum servaturus (859 942).

Medio itinere equitem ignotum qui eum lacesserat interficit. Hinc ab *Emelone*, Bavariæ duce, hospitium petit cui mox cadaver filii, a Richario occisi, affertur. Richarius, relata in singulari certamine de Emelone victoria, se innocentem probat, et venia a duce accepta. iter pergit (943-1203).

In civitatem *Balme* tandem pervenit. Induto Sarraceni habitu, corpore in nigrum colorato, Galienum adit cui se consobrinum, *Maudras* nomine, filium Josue regis Tabariæ mentitur. Tum ille in carcerem, tanquam captivum francicum occisurus, descendere, custodem interimere, Floovanti gladium *Joyeuse* apportare, amicumque cibis recreare (1204-1403).

Interea duodecim adducuntur gallici principes [1] qui Floovanti socii in carcere, postridie supplicio afficiendi, includuntur. Maugalia autem, illustrem Floovantis originem a Richario edocta, amatorem et ejus socios servare tentat. Galienum vero excitant Flori filii ut maturet supplicium, obstante frustra Maugalia quam iratus pater in templo sarracenico statim *Maudarano* in nuptias collocat. Dolore percita fugam properat puella. Equites gallicos armat Richarius et, apertis carceris portis, Sarracenos aggrediuntur, Maudaran et Maudoire occidunt, Galienum fugant; et quatuordecim Franci Maugaliaque præcipiti cursu Belfort petunt (1404-1711).

Fugitivos persequitur Galienus comitantibus mille Sarracenis, quorum unus *Corpion de Vaugris* Galieno se Floovantem Maugaliamque reducturum pollicetur, si puella sibi pro uxore detur. Quo concesso, rapido equo vectus, Francos attingit, sed a Richario interimitur. Richarius patrem Jocerannum Sarraceni equo donat. Maugalia vero, Galieni patris metu, viriles vestes induit, corpus nigro colore inficit, et equiti simillima sub nomine *Forqueres de Tudele* una cum Floovante equitat, de suo et de Floretæ amore verba iniens (1712-1815).

Dum fugiunt, Sarracenus, *Estorgis* rex Babiloniæ, eadem condicione Galieno Floovantem Maugaliamque se reducturum pollicetur. Assentiente patre, rapido equo vectus, vix Francos attigit, quum a Guinemanno Richarii fratre lacessitus vulneratusque, equo dejicitur. Cui occurrit Galienus. Hic interrogatum et Maugaliam inter equites Francos non esse, Florumque regem ei insidias parare asserentem irridet, et ad Francos tendit. Ad certamen Floovantem provocat et devincitur, ita ut evadere hostes ira incensus videat : cursum, a suis equo impositus, redintegrat, et in insidias a Floro rege paratas præceps ruit (1816-1931).

Floovans Florum agnoscit et ambo invicem, præ gaudio lacri-

1. Vide versus 1426-1435; et cf. versus 2095-2101. Hi sunt 1. *Antaume* (le Franc v. 2100), 2. comes *Joceran* pater Richarii, 3. *Angelier de Bordale* (secundum v. 2097 : A. de *Loon*), 4. *Anmari de Chartres* et 5. frater ejus *Moran*, 6. *Escorfan de Bretagne*, 7. *Richart le Norman*, 8. *Forqueres de Troie*, 9. *Baudouin le Flamand*, 10. dux *Burgundiæ* (nomen deest in duobus locis), 11. comes *Sancti Ægidii* (secundum v. 2101 : *comes Burgundiæ*, perperam); 12. comes *Guineman* qui castellum Lodonis, Herupeuses et Cenomannos tenet, et filius Joceranni Richariique frater est.

mantes, mutuo amplexu junguntur. Prælium atrox Francos inter et Sarracenos committitur (1932-2021).

Maugalia, a Sarracenis capta, solerter ex eorum manibus labitur. Richarius ducem paganum, dominum Palerni, et alios reges paganos occidit; multos quoque trucidant Floovans et duodecim equites et rex Florus; undique pereunt paganorum illustrissimi, ita ut Persarum admirallus Galienus alta voce signum det fugæ; a Francis cæduntur fugitivi (2022-2149).

Redeunt victores ad civitatem *Baufort*, et ibi dies festos agitant.

Maugalia deinde baptismum accipit; Floreta, filia Flori regis Ausai, quæ Floovantem deperit, juvenis amorem frustra sibi conciliare conatur. Profitetur Floovans Maugaliam, quæ a morte eum eripuit, sibi sponsam esse. Dolore percussa, suum dolorem patri aperit, qui Floovantem obsecratur ut et filiam et regnum Ausai accipiat. Tum Floovans se declarat Cloovisii filium, septem annos ob illatam suo magistro Seneschal injuriam e Francia exterminatum, et peracto nunc exsilii tempore, in Francicam aulam se hodie cum Maugalia sponsa rediturum; Floretam autem Richario ejus sodali offert Florus. — Sic Richarius Floretam uxorem ducit et regnum Ausai a Floro accipit. Mox Maugaliæ cum Floovante celebrantur nuptiæ (2150-2273).

Interea nuntius ad Florum a Cloovisio mittitur auxilium petens: Francorum enim regem in castello *Laon* a Persarum admirallo Galieno obsideri, reginam nocte dieque gemere et filii exsulantis opem conclamare. Floovans et Florus et Richarius et duodecim duces proficiscuntur, quisque in suo regno copias conscripturi et mox in castellum *Auviler* conventuri (2773-2313).

Florus Richariusque cum viginti millibus hominum per Burgundiam iter facientes, Emelonem Bavariæ ducem e manibus Sarracenorum, eripiunt, jamjam supplicio periturum, et cæsis Sarracenis, castellum Emelonis recuperant. Hinc accedunt ad *Auvilers* castellum ubi eos exspectant Floovans et alii duces cum quinquaginta millibus hominum. Richarius castra hostium ingressus, usque in tentorium regis Galieni penetrat, Sarracenum detruncat, et ad muros urbis *Laon* pervenit. Intrat in palatium et Cloovisium de Floovante gementem (duo enim alii filii ad Galienum aufugerant, christianamque fidem rejecerant) reficit (2314-2445).

Cloovisius cum suis militibus erumpit et paganos aggreditur, dum Floovans et Florus alia a parte in hostes ruunt. Inter pugnandum Floovans patrem quem non agnoscit, ferro petit, et feriat ni Richarius errorem nato detrahat. Galienus victus cum suis in fugam se vertit. E duobus Cloovisii filiis traditoribus unus perit, alter usque ad urbem *Balme* aufugit; cui nomen erat *Geté*, et, postquam Galieno hæres successit, infestissimus Christianis fuit hostis. Rex Florus cum Richario in Ausam revertitur, Floovans cum Maugalia in monasterio Sancti Dionysii coronatus, rex Franciæ salutatur.

Et Floovanz fut reis de France le regné [1].
Assez aveit apris granz mals à endurer,
Jamais avant de plus n'en orrez [vos] parler,
Si ne vos vuet mençonge ou noveles conter.
Dex vos garisse toz qui m'avez escolté,
Et mei avec n'oblit qui la vos ai chanté (2446-2533).

Cap. II.

De hollandico Floovante; quid inter gallicum et hollandicum intersit.

In *Germania* [2] a Pfeiffero edita, anno 1864, doctissimus *Bartsch* duo fragmenta poematis epici mediæva Hollandiæ lingua scripti, in lucem protulit et commentariis illustravit. Duo hæc fragmenta, in germanico civitatis Nürnberg Musæo deposita, duplici membranaceo folio constant, ad finem sæc. XIII vel initio XIV scripto. Continent 639 versus; fragmentum A scilicet : 1-318, fragmentum B : 319-639.

Fragmentorum stylus puerilis simplicitatis est et singularem

1. Vide p. 27, n. 1.
2. *Germania*, vierteljahrsschrift für deutsche AlterthumsKunde, herausgegeben von Franz Pfeiffer, Vien, — neunter Jahrgang, 1864; p. 407-436.

auctoris imperitiam denotat, adeo molestæ et operosæ verborum sunt conclusiones, adeo ægre inter se cohærent, ut ex hisce versibus judicare est.

Jostamont volgede met groten geere,	Jostamont sequebatur cum magna lancea;
Bi hem haddi al sijn heere.	Secum habebat totum suum exercitum.
Die coninc Postamont quam gewaren,	Rex Postamont advectus est,
xxx^m. man in siere scaren.	Triginta millia hominum in suo exercitu (habens).
Die Kerstine gemoeten die Sarrasinen.	Christiani occurrerunt Sarracenis :
Daer ginct te sorgen en te pinen.	Res processit cum labore et cura.
Ritzier stac enen dore den buuc	Ritzierus transfixit unum per ventrem,
Ende werpene doet ten zadele wt.	Et dejecit mortuum de ephippio;
Hemelyoen van Bayviere	Hemeleyo de Bavaria
Dede oec enen tumelen sciere,	Quemdam quoque dejecit,
Dat heme therte brac	Et illi cor confregit,
Ende nemmer meer woert ensprac.	Et non jam verbum dixit(ille).
Lucari die goede hermite	Lucarius bonus eremita
Werd oec van enen quite, etc.	Se e quodam liberavit, etc.

Expositionem Karoli Bartsch hic repetimus, et utriusque fragmenti argumentum exponimus.

In fragmento A, de obsidione castelli cujusdam agitur in quo Floovans [1], Margalia duodecimque Franciæ duces ab admirallo Galieno et Sarracenis includuntur. Quibus auxiliaturi accurrunt Rex *Antsai Flure*, Bavariæ dux *Hemelyoen* et *Ritzerius*, claro cornuum sono se approprinquare annuntiantes. Quo viso pagani in pugnam ruunt, Galienus cum LX millibus militum, *Jostamons* cum magno exercitu, *Postamons* rex cum XXX millibus. Sed christiani, Ritzierus, Hemelyoen, Rex Antsai et *Lucari*, « bonus eremita » ille, præclara facinora edunt. Armorum tamen tumultus usque ad Floovantem pervenit qui cum amicis per portam a Margalia apertam exit, et, dum Margalia, metu tremebunda, Deum ut amatori faveat precatur, Floovans Ritzierum, Hemelionem et Flure adit, et amplectitur, nullo verbo adjecto, « quum tunc aliud eis esset faciendum ». Inter paganos fortissimus Jostamons Eremitam Lucari simul cum equo humum prosternit; sed eremitæ opitulatur Ritzierus qui pagani corpus in duas partes gladio secat. Hoc spectaculo commotus aufugit Galienus usque ad Basileam. Redeunt Christiani

1. Ubique in holl. textu *Floovantis* nomen *Flovens* scribitur; identidem *Maugalia*, id est *Malgatia*, fit *Margalia, Emelon = Hemelioen, Richier = Ritzier, Cloovis = Clovis, Flore = Flure.*

ad castellum in quo Margaliam coronant, et deinceps equitant Bavariam versus ubi festa agunt. Sed quodam die Flure Floovanti, Ritziero et duodecim Paribus suadet ut secum proficiscantur; quo proposito ita dolore afficitur dux Bavariæ ut declarent omnes se in Antsai provincia remansuros esse. Ritziero filia regis Flure, *Fluer di rose* dicta, despondetur, et cum nata patris regnum accipit; unde festa longos per dies in Ritzieri patris, fratrum, amicorum domibus celebrantur. Floovans Margaliam uxorem ducit, et eum Ritzierus, ut æquum, suæ regiæ dignitatis participem fieri sinit (versus 1-166).

Interea rex Galienus cum rege Cordoni [1] Africani, cum sultanis Damasti, Persidis, Babiloniæ; summa, cum XIV regibus exercitum contra Parisios ducit. Certiores facti regem Francorum in urbe *Lodine (Laon)* esse, regionem populantur, et ponte super Onse fluvium trajecto, iter pergunt. Castellum Purlepont construunt [2] quod Boudefierus cum XL militibus occupat, ne ex Antzai regione auxilia ad Christianos mittantur.

Floovantis filii sortem dolet regina, quem Cloovisius ob illatam *Saluaerdo* injuriam in exsilium projecit; Cloovisio ipsi si redirent Floovans et Ritzierus gratum foret. Quos reficit urbis custos Rigant: ea enim Parisiorum esse munimenta et annonas ut facillime longa sustineatur obsidio. Custos, a rege eques creatus, cum equitibus proficiscitur, mutato solum pro baculo quem rex ei dederat ense. Portæ aperiuntur, et Franci cum Sarracenis pugnam ineunt. Rex urbis Damast sexdecim millia hominum Francis opponit. Rigant, Cloovisius et Cloovisii filii, Germinus et Severinus, mirum in modum hostes profligant (versus 167-318).

Hic concluditur fragmentum A; hoc est autem fragmenti B argumentum.

Regina *Claude* desperata mœnia ascendit, an auxilium veniat circumspiciens; sed nihil nisi Sarracenorum tentoria videt. Subito ejus oculis apparet vexillum Franciæ, vexillum Jordani. Clamorem edit quo populus accitus ad regiam accurrit. Omnes lætitia exsultant, arma capiunt et regi Olifernæ, qui viginti millia militum ducebat, occurrunt. Interea filius Cloovisii Disdierus Galienum adit declarans se Mahumetanum fieri velle, et quum

1. In textu *Cordon* = Corduba?
2. Vers. 209 *Piersepont*, 445 *Pirlepont*. — Videtur esse *Pierre-le-pont*.

Galienus ei provinciam Bavariam polliceatur, lætus Disdierus in medios Francos irruit, et Christianum quemdam occidit. Quod Rigant Severino, Disdieri fratri, indicat. Dum Severinus armigerum Disdiero occurrere jubet, hic fratrem aggreditur et occidisset nisi Rigant Severini loco lethalem ictum accepisset. Cloovisius in urbem redit.

Christiani vero in Purlepont clausi tentant etiam e muris exire. Atrox fit prælium. Sarracenos plurimos trucidant Ritzierus, Floovans qui *Joyeuse* gladium fert, et duodecim Pares. Sed ita certaminis pervagatur fama, ut admirallus Galienus cohortes in unum congreget. Hemelyoen, rege Galifiero occiso, ipse a rege Postamont occiditur : cui letale vulnus fert Ritzierus, nec non et regibus Turciæ et Arabiæ. Cloovisius interea pugnam redintegrat. Galienus desperatus Mahumeto maledicit, sed rege Boudefeer ei hæc impia verba exprobrante, redit in pugnam, et eremitam Lucari et regem Flure occidit. *Avunculum suum*, Lucarium et patrem uxoris regem vindicat Ritzierus, dum regem Boudefeer in Orcum mittit, et socium regi Disdierum addit. Fugientem Galienum persequitur et prælio commisso obtruncat Ritzierus. Finem pugnæ Sarracenorum ad internecionem cædes imponit.

Ritzierus in campo cadaver avunculi Hemelyoen quærit, et se Floovantis fratrem Disdierum, et consobrinum Gerardum et uxoris patrem Galienum occidisse dolet ; se æterno odio Margaliæ fore. Quas cædes ut expiet, constituit se eremitam facere (versus 319-639).

Hic concluditur fragmentum B.

Facile videre est duo hæc fragmenta ex eadem poematis parte excerpta esse, ita ut unum alterius sit, non permagno quidem intervallo, interrupta continuatio ; et ambo unum esse fragmentum jure dicas in quo duæ vel tres desiderantur paginæ.

In summa cum fine gall. poematis congruit holl. textus ; sed si singula consideraveris, ita gall. et holl. inter se conveniunt et discrepant ut non Monspessulanensis codicis, sed cujusdam alius vicini holl. fragmentum versionem esse jure putes.

Etenim in gall. fugiunt Floovans, Richarius, duodecim Duces et Maugalia ante Galienum et paganos qui jam eos attigerunt, quum eis auxiliatur Florus Ausæ rex. In holl. autem obsidentur Floovans, duodecim Duces et Maugalia in castello et eis auxiliatur non solum Florus sed et Bavariæ dux *Hemelioen*, id est

Emelon, et *Richarius* Emelonis *nepos* et eremita *Lucari*. Credere est, ut animadvertit Bartsch, Richarium e castello evasisse et obsessos reliquisse socios ut opem Flori imploraret. In gallico textu, fortuito Florus rex, dum insidias Sarracenis parat, Floovantem fugitivum et Sarracenos prosequentes adspicit, et conjectandum est auctorem poematis quod vertit holl. scriptor, in narratione prioris quem retractabat textus, quo verisimilior appareret fabula, quidquam immutasse.

Sed quid castellum illud in quo obsidetur cum amicis Floovans? Quum textus italianos recensebimus, Fioravantem, id est Floovantem, videbimus ab amica, Regis Sarracenorum filia, e carcere eductum, cum ea in castellum *Mongirfalco* aufugisse in quo, a Sarracenis obsessus, a Richario et Francis liberatur. Italianam narrationem, certos intra fines conclusam, cum holl. fabula cohærere patet.

Quod ad Emelonem Richarii avunculum, memineris, quum castellum *Avenant* a Floovante expugnatum et occupatum, per proditionem Maudaranni et Maudorii, filiorum Flori, a Sarracenis rursum receptum fuisset, Floovantem in captivitatem abductum esse, dum Richarius aufugiens, Floro regi tristes hos nuntios afferret et *Emelonis* hospitium acciperet. Constat in textu quem sequitur holl. translator, majores et diversas Emeloni attributas esse partes.

Quid vero de *Lucario*, bono eremita, qui inter pugnandum perit? Nihil usque adhuc; sed quum de textibus islandicis et italianis disseremus, forsan quæ sit hæc persona eruere licebit.

Inter paganos videmus duos principes quos ignorat codex Monspessulanensis, *Jostamon* scilicet et *Postamon*.

In quibusdam Monspessul. codex et holl. fragmentum stricte congruunt. In utroque Florus et Floovans alter alterum amplectuntur; Sarracenorum rex, illustrissimorum ducum adspecta strage, fugæ signum dat; filia Flori nomen habet *Floreta* aut *Fluer de rose*; Richarius Floretam, Floovans Maugaliam uxorem ducit.

Quod ad alteram narrationis partem, de obsesso Cloovisio, summatim ambos textus æstimanti unus et idem videtur tenor esse. In utroque enim de Cloovisio agitur quem liberat inexspectatus, aut non jam speratus, filius Floovans.

In hoc conveniunt ambæ narrationes quod Cloovisius a Galieno *Launduni* obsidetur; quod rex Franciæ et regina filium Floovantem exsulem desiderant, quod unus aut duo e quatuor

regis filiis patrem tradiderunt, fidem Mahumetanorum et vexilla secuturi, provincia Bavaria secundum holl., Saxonia secundum gall. donati; quod Cloovisius egregia facinora patrat, quod deinde victores redeunt Christiani.

In hoc autem discrepant quod narrationis ordo non idem hic et illic habetur, quod de apostasia filii Clovisii holl. poema ea refert quæ jam gallicum in prima narrationis parte de filiis Flori narrat; quod de castello *Pierlepont*, de Rigant et Lucario, de inaudito Richarii fine tacet gallicum; quod reginæ nomen *Claude* ignorat, et magistrum a Floovante dehonestatum *Senechal*, non *Saluærd*, id est *Salard*, vocat Monspessulanensis codex.

Ex holl. igitur fragmentis constat alterum extitisse codicem, ita ut et iste et ille medio sæculo XII scriptus quem exhibet Monspessulanensis codex duæ diversæ primitivi poematis amissi retractationes duci debeant.

Textum autem quem supponunt holl. fragmenta non italianis scriptoribus ignotum fuisse nunc videbimus.

CAP. III.

De italianis fabulis : il Fioravante, I Reali di Francia — *Fioravantis argumentum.*

Sunt in Italia narrationum collectanea, *Regii Franciæ (I Reali di Francia)* dicta, quæ fabulosas regum gallicorum origines exponunt. A sæculo XIVº parvulus iste liber singularem est adeptus famam, et nostro etiam tempore per totam Italiam a plebe legitur [1].

1. Fra tutte le composizioni che hanno corso tra le nostre plebi, il nome di libro popolare italiano si conviene ai Reali più forse che a qualunque altra. Non v'è scrittura così assiduamente letta dalle Alpi agli estremi promontorî della Sicilia; dovunque alcuno sa leggere la si trova in onore. Innumerevoli ne sono le edizioni; per quante ne abbiamo raccolte i bibliografi, le più, pubblicate in angoli remoti e spacciate per le fiere e le sagre, sono certo sfuggite allo loro diligenza..... La popolarità del libro... è maravigliosa

Prima hujus libri pars nostri Floovantis historiam narrat, qui hodie in Francia ignotus est. Adeo polluerunt apud exteros populos hæ priscorum nostrorum *trovatorum* inventiones, quæ in nostra patria oblivione abolitæ sunt!

E sex libris genealogiam regum qui Franciam ante Carolum Magnum tenuerunt explicantibus, duo primi solum ad nostrum propositum spectant, qui duarum personarum, *Fiovi* scilicet et *Fioravantis*, historiam referunt.

Eximius Mediolanensis Universitatis professor *Pio Rajna* in acutissimis *Disquisitionibus de Franciæ Regiis* [1] primus libri origines et fontes eruere aggressus est, et anteriorum sive versibus sive prosa oratione conscriptarum fabularum imitationem esse demonstravit, quæ plus minusve directe e poematis gallicis deductæ sunt. Quod ad *Fiovum* et *Fioravantem* attinet, ne propositi fines transgrediamur, in bibliothecis Florentinis duos codices reperit qui fabulam prosa oratione scriptam, *il Fioravante* inscriptam, continent. Ex hoc, ignoto adhuc, *Fioravantis* libro desumptos fuisse maxima ex parte tres primos libros *Regiorum Franciæ* luculentissime exposuit Rajna.

Sed liber ille tam feliciter ex oblivione erutus, e quo ipse manabat fonte? Credit Rajna translatum e libro gallico prosa oratione scripto, qui prisca gallica poemata referret, *Fiovi* et *Fioravantis* (aut potius, ut gallica nomina usurpem, *Floventis* et *Floovantis)* casus et errores celebrantia.

Quum opus componeret Rajna, codice manuscripto latino ei uti non licuit, qui textuum islandicorum de *Floventis* (Fiovi) casibus versionem continet, quique in nostra Nationali Bibliotheca asservatur. Brevissimam modo notitiam ab editoribus gallici *Floovantis* in præfatione relatam noverat.

davvero...; non v' ha lembo d' Italia a cui Fiovo e Fioravante siano ignoti; quanti italiani interrogai in proposito, tutti mi attestarono notissimi nelle loro provincie i R.; si citano librai che acquistarono agiatezza a forza di cattive ristampe; nè è infrequente il caso che sulle muraglie di qualche città non barbara, di Modena per es., si vegga esposto un avviso di questo tenore: « Questa sera il loro servo burratinaro rappresenta Buovo d'Antona, terza parte dei Reali di Francia. » (Pio Rajna, *Ricerche intorno ai Reali di Francia seguite dal libro delle storie di Fioravante e dal cantare di Bovo d'Antona* (primo volume della *Collezione di opere inedite o rare dei primi tre secoli della lingua,* pubblicata per cura della R. commissione pe' testi di lingua nelle provincie dell' Emilia. Bologna, 1872, in-8°. — Vide p. 3, et p. 309).

1. Vide titulum ad finem præcedentis notæ.

Versionem item holl. exstare ignorabat de qua supra disseruimus, et tertium ital. codicem qui a nostra Nat. Bibl. anno 1873 acquisitus est et Fioravantis historias exponit; quæ monumenta si in promptu habuisset, aliquantulum suam de libri de *Fioravante* originibus sententiam forsan immutasset.

Perplexam satis et implicatam materiam quo dilucidius tractemus, primo libri de *Fioravante* argumentum exponemus, qualis a Rajna in suarum *Disquisitionum* fine editus fuit [1].

Constantini imperatoris Romani nepos, nomine *Fiovus* (*Fiovo*) quum in convivio scyphum plenum præter voluntatem in vestem cujusdam ducis fudisset, et ab illo convicia et colaphum accepisset, dolore et ira incensus, scyphum tanta vi in caput ejus projecit ut mortuum pedibus Constantini prosterneret. Quo facto statim fugit adolescens, comitantibus duobus consobrinis *Gifredo* (*Gifroi*) et *Ottone* (*Otto*). Fugitivum prosecutus est imperator, rapido equo vectus cui nomen erat *Gioioso* : mox, sequentibus longo intervallo ceteris Romanis, nepotem assequitur, cum eo certamen init, et equo dejicitur; cui insiliens Fiovus cum armigeris aufugit, dum Romani jacentem imperatorem erigunt et Romam reducunt.

Post varios errores ad montem *Radicofani* perveniunt tres adolescentes in quo habitabat, XL abhinc annis, eremita quidam qui supplicium N. D. J. C. spectaverat. Qui quidem ab angelo certior factus qui essent viatores et quæ eos manerent fata, magnis cum honoribus Fiovum et amicos excipit, sancto cibo recreat, vexillo a Deo misso et optima armatura donat; illi ut regi Parisiorum *Fiorentio* (*Fiorenze*) auxilietur eumque ad fidem christianam adducat suadet, et, his omnibus peractis, moritur.

Iter pergunt, et dum Lombardiam transeunt, eis duodecim latrones occurrunt qui, quum sanctam crucem in armatura depictam conspiciant, christianos esse Fiovum et amicos agnoscunt. Post breve certamen novem latrones occiduntur, tres fugantur, qui castellum petunt cujus dominus christianis infensissimus erat. Fiovus autem et Gifredus et Otto idem in

1. *Il libro delle storie di Fioravante,* Ricerche, etc., p. 331-490. Secundum duos Florentinos codices manuscriptos editus, unum scilicet magliabechianum [Palch. II, 28, Strozziano], alterum laurentianum, [Med. Pal. cod. 1197.]

castellum hospitium petituri intrant; ubi, quum signo crucis ante prandium facto se christianum declararet Fiovus, agnoscentibus etiam tribus illis latronibus, prælium novum oritur. Tres amici aufugiunt, in sylvam penetrant ubi pauperi christiano occurrunt, *Ansoigi* scilicet (*Ansoigi*), filio Philippi, regis Constantini fratris; qui, cum patre in pugna captus, e carcere evaserat et per silvas, ne a Sarracenis denuo caperetur, vivebat. Erat igitur consobrinus trium amicorum Fiovi, Gifroidi et Ottonis, quorum patres Constantini fratres erant; et socium tribus amicis se addit.

Dum equitant, cervam fugientem videt Fiovus rapitque. Sed supervenit venator cum sociis Sarracenis qui, Fiovum et amicum aggressi, ab eis profligantur.

Viatores nostri Provinum adveniunt, et procuratores offendunt qui milites regi Parisiorum Fiorentio a re Sansognæ *Salatre* (*Salatres*) obsesso conscribendos quærebant; quibus nomina sua dant. Mox ad portas Parisiorum accedunt; eis custos ingressu interdicit, et noctem intra duas portas agunt. Postero die trecentos equites regis Salatris cædunt aut fugant aut capiunt, rege Fiorentio hæc facinora de fenestra mirante (cap. I).

Corsabrinus (*Corsabrino*) autem, dux regis Salatris, equitum strage audita, cum mille militibus in quatuor Romanos ruit quibus auxiliatum cum exercitu rex Fiorentius accurrit. Inter pugnandum Otto capitur et ad Brandoiam Venustam filiam regis Salatris adducitur, quæ, eum Fiovum esse quum crederet, lætatur, quippe quæ per magicas artes se Fiovi uxorem et Franciæ reginam fore didicisset. Corsabrinus vero a Fiovo vulneratur, et, sinistra manu detruncatus, se victum agnoscit. Quem liberum dimittit Fiovus, ea tamen condicione ut Otto a Salatre non male habeatur (cap. II).

Redit Parisios victor Fiorentius rex et summum ducem Fiovum, cujus illustrem originem ignorat, salutat. Fiovus autem consobrinum Ottonem luget; quem Brandoia, pro Fiovi amore, comiter habebat. Corsabrinus auri argentique magnum pondus Fiovo mittit (cap. III-IV).

Brandoia, adjuvante Corsabrino, Ottonem ad Fiovum remittit. Fiovus autem inter pugnandum raptam Salatris filiam in palatium regis Fiorentii abducit; quo iratus Salatres ad pugnam Fiovum et suos provocat; Salatrem et Sarracenos, arti-

bus Corsabrini adjutus, profligat Fiovus, et paganus rex usque ad castellum *Corboi* fugit (v-vi).

Sed, suadente Corsabrino, tres filios ad se revocat Salatres; rex autem Persiæ *Lutamonte*, cui filiam promisit, cum xxi millibus equitum ad Corboi statim, ei auxiliaturus, accurrit. Quam rem a Corsabrino secreto edoctus, Fiovus consobrinum Ottonem Constantino legatum mittit ut Fiorentio regi opituletur, Constantinusque x millia equitum offert. Salatres autem filium Dinazor cum lxx millibus equitum Romam tendere jubet ut Constantini auxiliis prohibeat iter. Romam pervenit, sed serius, ita ut x millia equitum usque ad suburbia Parisiorum antea perveniant. Pugna initur in qua rex Salatres a Fiovo interimitur, et castellum *Corboi*, adjuvante Corsabrino, diripitur (vii-ix).

Victor Brandoiam, victi filiam, uxorem ducit Fiovus, qua de re vehementer dolet rex Fiorentius qui eum generum cupiebat. Die nuptiarum fixa, regis Fiorentii filia venenatum cibum Fiovo offert; qui, nescio quid providens, et, quasi Deo monente, cani partem carnis dat; illa statim mortua procumbit. Quo viso, furens Fiovus regem Fiorentium interficit, et ceteros christianos fieri cogit. Tunc ab omnibus rex Franciæ salutatur, et in regno cultum veri Dei instituit (x).

Subigit Fiovus Scotiam, Hiberniam et Britanniam; hanc autem provinciam Corsabrino dat e quo descendit *bonus rex Salamon*. Filiam vero regis Fiorentii cui, baptismo accepto, data fuerat venia, uxorem ducit Ansoigi a Fiovo Maganza (*Moguntio*), Scotia, Hibernia, Flandria et Brabantia donatus. Ex his orta est proditorum gens inter quos innotuit *Ganelone di Maganza* (xi-xii).

Interea vero Constantinus imperator a Dinasor, filio regis occisi Salatris, obsidebatur; cui opitulatum cum xv millibus equitum proficiscitur Fiovus. Sed et avunculus et nepos a Dinazor profligantur, et res in eo est ut jam Roma capiatur quum rusticus quidam, baculo armatus, equo sine ephippio invectus, regem Dinazor de equo raptum, captivum Romam ducit, et res restituit. Rustico maximi honores decernuntur et ex metallo statua viri equo non strato insidentis, baculumque tenentis fingitur, quam nunc etiam Romæ videre est. Dinazor autem quum baptismum recuset, in carcere interfici jubet Constantinus (xiii-xiv).

Redit in Franciam Fiovus ad uxorem Brandoiam quæ ei duos

filios, *Fiorium* scilicet et *Fiorellum*, parit. Fiorellus, major natu, Branciadoram filiam regis Alemanniæ uxorem ducit; Fiorius autem filiam regis Dardennæ; quo mortuo, rex Dardennæ coronatur. Post mortem Constantini Fiovus imperator Romæ salutatur, et mortuo Fiovo heres succedit Fiorellus (xvi).

Hic regis Fiovi concluduntur historiæ; incipiunt regis *Fioravantis* qui nomen suum toti libro imposuit.

Longum post tempus regina Bianciadora filium habuit qui in humero dextro rubeam crucem gerebat: cui Fioravans (*Fioravante*) nomen indictum fuit. Novem annos natus patrem rogavit ut sibi arma et equum ad conquirenda regna donaret. Sed teneriorem adhuc ratus, magistro *Salardo di Brettagnia* qui ad arma tractanda institueret eum commisit. Die quadam, quum, peracto exercitio, labore et calore exhaustus, obdormisceret Salardus, gravioribus dormientis ronchis fatigatus primum magistrum obtruncare statuit; dein, sibi barbarum consilium exprobrans, barba privavit. Qui expergefactus ubi se deturpatum vidit, regi filii scelus denuntiavit (xviii).

Rex iratus filium capi et in carcerem conjici jussit, donec suspendio interimeretur. Regina autem, quæ a festis redibat rei ignara, quum filium ad supplicium ductum obvium habuisset, in lacrimas effusa, Salardum precata est ut pacem cum Fioravante iniret, et veniam adolescentis a rege peteret: quod si faceret, se filium cum Salardi filia per matrimonium conjuncturam esse. Salardi precibus mollitus rex filium exsulare septem annos jussit; et Fioravans, accepto a matre gladio qui *Gioiosa* dicebatur, et scuto albo cruce rubea ornato, et lancea et equo, in exsilium profectus est (xix).

Iter faciens per montes, tres Sarracenos offendit qui filiam regis Dardennæ *Uliam,* quum per hortum cum sociis ambularet, rapuerant. Vix eos fugaverat, et *Baldam*, ad regiam Dardennæ urbem, cum puella tendebat, quum Galerani regis filius et regis Balantis, Galerani fratris, nepos, *Farnagu* dictus, puellam stuprare, prohibente Fioravante, tentat. Inde initur certamen in quo Farnagu Fioravantem gladio *Durlindana*, Fioravans autem Farnagum gladio *Gioiosa* ferit (xx-xxi).

Galeranus interea pater, somnio territus, reges de Farnagu filio inquisituros miserat. Qui in prælii locum adveniunt, et quum

Farnagu a Fioravante equo dejiceretur, in victorem ruunt et vinctum cum puella abducunt (xxii-xxiii).

Palatinus autem *Riccierus* (*Riccieri*), Fioravanti amicissimus, exsulare eum quum audivisset, regina hortante et gratias agente, profectus est Fioravantem quæsiturus. A regina magicam herbam quæ vulnera arceret accepit. Dum equitat, Sarracenum videt suos socios a Fioravante occisos lugentem. Qui interrogantem, ubi Fioravantis amicum esse agnovit, aggressus, a Ricciero interficitur. Iter deinde pergit, et amicum in castello ad columnam obligatum et a quinque Sarracenis baculis percussum et alta voce clamantem, Uliam autem lacrimantem prospectat. In Sarracenos impetum facit et amicum et puellam liberat (xxiv).

Quum equitarent Dardennam versus, in cauponam intrant cujus herus per somnifera medicamenta sopitos Riccierum et Fioravantem armis et vestibus despoliat et puellam abducit, ei vim illaturus. Sed mox e somno exciti, cauponem prosequuntur, et, adjuvante Ulia, interimunt. Dein ad regem *Fiorium* tendunt ad quem filiam reducunt. Quanquam *Tibaldo di Lime* regis siniscalco sponsam, hanc Fioravanti uxorem offert Fiorius, sed Fioravans patrem hortatur ut ante omnia se a Sarracenis liberet (xxv-xxviii).

Filii autem Fiorii, Lione et Lionello, stipendiarium advenam maximos ad honores accitum, se autem regis filios posthabitos indignati, proditionem, quam suspicatur Tibaldus, meditantur. Galeranum igitur Balantemque adeunt, christianaque fide exuta, Mahumetanam profitentur, et mox castellum a Ricciero, Fioravante Tibaldoque occupatum in manus Galerani Balantisque tradunt. Fioravans Riccierusque capiuntur (xxix-xxxii).

Captivi amborum regum filiabus, ut mos est, committuntur, *Galeranæ* scilicet et *Drugiolinæ*, quas mox misertas Fioravantis intrat amor; ubi Drugiolinæ amori se respondere declaravit Fioravans, dolore perit Galerana. Tum Drugiolinæ se esse Franciæ regis filium confitetur, puellaque e carcere amatorem Riccierumque liberare statuit (xxxiii).

Interea Tibaldus regi Dardennæ filios proditores et Fioravantem Riccierumque captivos esse nuntiavit. Fiorius Tibaldum ad fratrem Franciæ regem ut filium Fioravantem servet et ad papam ut sibi auxilietur mittit; et papa cum lxx millibus, et

Fiorellus cum LXXX millibus equitum ad obsidendam Baldam, Galerani Balantisque urbem, iter tendunt. Quibus obviam cum CXXX millibus exeunt Galeranus et Balans. Fioravanti autem carceris portas aperit Drugiolina (XXXIV-XXXVI).

Atrox committitur prælium. Filii proditores a Tibaldo occiduntur quem ipse letali ictu percutit Balans, ut et Fiorium regem; et Christiani jamjam perituri sunt quum Fioravans et Riccierus, a Drugiolina liberati, inter hostes ruunt et Sarracenos fugant. Galeranus, Fioravantis gladio transfossus, mortuus cadit, rexque Balans cum Drugiolina, derelicta Balda, Ascondiam fuga petit. Baldam autem intrat Fioravans et direptam ferro et igne destruit. Tunc in Franciam redeunt rex Fiorellus Fioravansque filius Riccierusque et papa (XXXVII-XL).

Salardus, Britanniæ dux, audito Fioravantis reditu, juvenem adit veniam petiturus, reginæque matri promissum matrimonium inter filiam et Fioravantem in memoriam revocat. Regina Fioravantem, quum Salardi filiam aspernetur et Drugiolinæ datam fidem servet, tam moleste precibus conviciisque per sex annos persequitur, ut denuo proficisci statuat. Quadam nocte igitur cum puero abit, qui, dum in ecclesia preces Deo fundebat, cum armis domini et equo fugit, et ad eremitæ sacellum pervenit. Eremita, qui erat Fioravantis avunculus, rapta a puero arma suspicatus, illum suspendio necat. Paulo post advenit et Fioravans cui eremita, ab angelo doctus quisnam sit hospes, et arma et equum restituit (XLI-XLV).

Eodem tempore Soldanus Babiloniæ visam Balantis filiam subito adamat et a patre eam in connubium petit. Quod libens audit pater, at non filia quæ Fioravantis amorem fideliter servabat. Cogitur ergo Ascondiæ rex Soldani petitionem rejicere; qui ira furens cum exercitu Ascondiam per sex annos obsidione claudit (XLVI).

Fioravans autem Soldani transgressus castra, Ascondiam penetrat et in cauponam quæ contra Drugiolinæ palatium erat, intrat. Quem simul ac vidit, cauponis filiam ejus amor subit. Postero die exit Fioravans Soldani milites aggressurus, et tanta agit facinora, tam multos hostes gladio *Durlindana* trucidat, tantam in Ascondiam reportat prædam ut omnium oculos in se convertat (XLVII-XLIX).

Ad se Fioravantem arcessit Drugiolina quæ arma amatoris agnovit, et vultum nudare recusantem precando adducere

nequit ut se esse Fioravantem fateatur. Tamen ignoto equiti suæ vestis pannum ut insigne inter pugnandum, istius Fioravantis amore cujus referebat incessum, offert. Interea, cauponis filia amatum a Drugiolina esse Fioravantem rata, præ dolore perit. Postea certamen cum tribus regibus qui olim Drugiolinam in connubium frustra petierant init; sed uno occiso, ceteris captis, Soldani copias profligat, et Ascondiam redit victor ad Drugiolinam cui se agnoscendum præbet. Soldanus autem a se non Fioravantem vinci posse intelligens pacem cum Balante facit et in Babiloniam redit (LX-LII).

Scurra tamen, qui Fioravantem cognoverat, Balanti regi quisnam sit hic fortissimus eques declarat. Tunc Balans infensissimum hostem qui fratrem Galeranum, nepotem Farnagu interfecit, supplicio afficere statuit; per malum dolum armis privatum caute arripit et in carcere includit dum ad supplicium ducat. Sed Drugiolina, per subterraneum cuniculum, ad castellum *Mongirfalco* quod possidebat cum amante fugit, ita ut Balantis milites quum captivum ad supplicium adducendum requirerent, carcerem vacuum invenirent. Unde factum ut rex obsideri castellum juberet, quod tenebant modo cum Fioravante et Drugiolina uxores comitum et ducum quos ad spectandum supplicium invitaverat Balans (LIII-LV).

Interea interierat Fiorellus rex, et precante Regina, regnum donec rediret Fioravans tenebat Riccierus. Scurra quidam, *Lottieri* nomine, pollicetur se Fioravantem reperturum et Parisios reducturum, ea tamen condicione ut comitissam Flandriæ quæ tunc vidua erat et apud reginam vivebat, uxorem ducat. Fide data, proficiscitur et per varios errores usque ad Balantis aulam pervenit, et sibi ejus amicitiam conciliat. Castellum deinde in quo Drugiolina obsidebatur, adit, Fioravanti nuntios matris affert et ab eo litteras matri apportandas recipit. Redit deinde scurra Parisios, et reginam invitat ut filio auxilietur; postea Flandriæ comitissam uxorem ducit (LVI-LVII).

Tunc regina legatos ad papam ut exercitum ducat mittit, et cum LXX millibus equitum statim Parisios accurrit; Riccierus quoque LXX millia colligit; omnes dein proficiscuntur, duce regina quæ mariti arma induerat, et Balanti occurrunt. Hic copias in tres exercitus diviserat quorum uni præerat Falserus cum XXX, alteri nepos cum XXV, tertio ipse cum L millibus equitum. Christianorum quoque exercitus in tres partes divisus fuerat,

unam cum scurra duce et XXX millibus, aliam cum Ricciero et XL millibus, inter quos duodecim Palatini. tertiam cum papa. Inter Francos erat senex CLX annos natus, qui adhuc virginitatis florem servaverat; huic nomen *Anseigi* datum erat. Committitur prælium. A Ricciero occiditur Falsero; Balans autem Anseigim occidit et duodecim Palatinos prosternit et Riccierum equo dejicit. Quod videns, Fioravans e castello exit, a Drugiolina armatus, mediosque per hostes irruit et victoriam Christianis affert. Redit Balans Ascondiam, cum Drugiolina autem castellum relinquit Fioravans. Ubi Parisiis fuerunt congregati omnes, Drugiolinam, accepto baptismo, uxorem ducit. Anseigis cujus animam in cœlum, corpus Parisios angeli transtulerant, sub nomine sancti Dionysii a populo adoratus est (LVIII-LX).

Hic Fioravantis historiarum finis, sed non libri qui Drugiolinæ varios casus (LXI-LXXVII) exponit, Octaviani Drugiolinæ et Fioravantis filii in Oriente bella (LXXVIII-LXXXIV) et Gisberti alius Drugiolinæ filii facinora (LXXXV-LXXXVII) narrat. Sed hæc ad propositum nostrum quum non spectent omittemus. Nunc de formatione hujusce fabulæ nobis inquirendum est. Facilioris expositionis gratia, Fioravantis modo historiam (cap. XVII-LX) consideramus, Fiovi fabula (cap. I-XVI) præsens in tempus omissa.

Cap. IV.

De secunda libri il Fioravante *parte, seu de Fioravantis historia.*

Quam in præcedenti capitulo exposuimus summam cuilibet legenti patet Fioravantis historiam cum Floovantis historia in cap. I exposita congruere. Sed multo plura sunt quæ conveniant si hollandici textus ratio habetur.

In Fior. ut in Fl., præcipua fabulæ persona est filius regis Franciæ qui primus christianam fidem amplexus est. Hic *Floovant,* illic *Fioravante* nomen habet; quum vocis *Floovant* italiana translatio *Fioovante* sonaret, prior nominis pars facillime cum *fiore* confusa est, posterior autem *vante* cum *avante;* unde *Fio-*

ravante. In utroque textu adolescens barbam magistro tondet, qui hic *Senechal*, illic *Salardo* dicitur, sed et in hollandico fragmento *Saluaerd*, id est, *Salard*. Ob admissam injuriam exterminatur. Hic et illic Richarius (*Richier, Rizzieri*), qui aberat quum exsilii damnaretur amicus, reginæ se filio socium fore pollicetur. Floovans filiam regis Flori aut Fiorii (quod idem est nomen) e Sarracenorum manibus liberat, hic quidem *Florettam* regis Ausæ filiam, illic *Uliam* regis Dardennæ (id est Ardennæ), et Floovantis consobrinam; cur italianus scriptor quædam hic mutaverit infra videbimus. In utroque textu a Fernagu lacessuntur et, inter pugnandum, a Turcis; in utroque etiam Richarius Sarracenum fugitivum, occisis sociis dolentem, interimit.

Fabulæ prior pars usque ad locum ubi interrumpitur gallicus textus, optime hic et illic congruit. Verisimile autem est in textu gallico sicut in italiano, Richarium, Floovantem, Florettamque (in ital. *Uliam*) post varios errores ad aulam regis Ausæ *Flori* (in ital.: regis Dardennæ *Fiorii*) pervenire. Hic vero si narrationem italiani textus sequimur, multa quæ præbet gallicus deesse apparet; captum scilicet castellum *Avenant*, Maugaliam Galiani filiam inter captivos versatam, conviciis tandem inter se Maugaliam Florettamque certantes. Sed in utroque textu castelli custodia Floovanti Richarioque et tertio duci, Urbano Alemanno in gall., Tibaldo di Lima in ital., committitur; in utroque per proditionem duorum filiorum regis Flori aut Fiorii, Maudarannum scilicet et Maudorium (aut Lione et Lionello), a Sarracenis recuperatur castellum. In utroque Floovans in urbem Sarracenorum regiam ducitur quæ hic *Bavme*, id est *Balma*, illic *Balda* vocatur. *Balda* a *Balma* prave detortum esse verisimile satis est.

Ibi vero divergit narratio. Etenim non oblitus est lector, solum Floovantem in carcerem projectum fuisse; Richarium autem, postquam regi Ausæ Floro tristes nuntios attulerat, et hospitium ab Emelone cujus filium in certamine interfecit acceperat, in urbem Galiani, imo in carcerem Floovantis penetrasse; duodecim autem Duces Floovanti nunc captivitatis, mox supplicii socios additos esse; omnes autem, favente Richario et Maugalia, frustra prosequente Galiano, aufugisse : tandem Florum, fugitivis auxiliatum, Sarracenos profligasse.

In ital. textu res sese aliter habent. Richarius et Floovans capti Galeranæ et Drugiolinæ custodiendi committuntur, dum

Tibaldus auxilium regis Dardennæ Fiori et regis Franciæ Fiorelli et papæ petit. Immensus igitur congregatur exercitus, duos captivos Baldæ inclusos liberaturus ; per Drugiolinam et Floovantem, Christiani triumphant. Hic discrepant ital. et gall. textus, sed melius conveniunt holl. et ital.; nam in utroque puella cum Floovante (quamquam absunt in ital. duodecim Duces, de quibus infra) obsidetur a Sarracenis; in utroque portam carceris amatori aperit cujus adventus dubium adhuc pugnæ eventum ad victoriam inclinat.

Sed collatio inter holl. et ital. textum melius, non de hac, sed de altera Fioravantis captivate instituetur quam narrat cap. LIV. Hic enim et illic, ut supra vidimus (p. 41), in *castello* obsidetur Floovans (Fioravante), e quo, favente regis filia, exit dum Christianorum res in ancipiti versantur.

Ne quis vero dubitet hanc institui posse collationem, quum mediam fabulam *Fioravantis* deseramus et e capitulo XXXVIII, omissis ceteris, statim ad cap. LIV convertamur. Etenim Fioravantis fabula in duas partes dividenda est, quarum una cap. XVII-XL, altera cap. XLI-LXI continet. Utraque idem fere argumentum refert, et unius et ejusdem historiæ tanquam duo et minime quidem diversa exempla et retractationes credi possunt, quæ, mutatis mutandis quo melius inter se congruerent et adaptarentur, per auctoris artem, in unum congregata sunt. Quod satis clare ex hac tabella apparebit, in qua quomodo conveniat inter se utraque pars exponimus.

Fioravans Parisios relinquere cogitur ob injuriam Salardo illatam (XVII).	Fioravans Parisios relinquere cogitur quia promissionem Salardo a matre factam implere renuit (XLI).
Sarracenorum copias profligat et sibi Drugiolinæ regis Balantis filiæ amorem conciliat (XXX, XXXIII).	In regnum Balantis regis Sarracenorum advenit et Drugiolinæ oculos, dum Soldani copias profligat, in se convertit (XLIX).
Per proditionem capitur et Balanti traditur qui Baldæ in carcere Drugiolinæ commissum includit (XXXI).	Per proditionem capitur et Balanti traditur qui in carcere Drugiolinæ commissum includit (LIII).
Ei Drugiolina cibum affert (XXXIII).	Ei Drugiolina cibum affert (LIII).
Galerana, Fioravantem adamans,	Hospitis filia, Fioravantem ada-

sibi præpositam esse Drugiolinam ægre fert et dolore perit (xxxiii).	mans sibi præpositam esse Drugiolinam ægre fert et dolore perit (li).
Rex Franciæ cum Fiorio et papa qui lxx et lxxx millia hominum collegerunt, Fioravanti opitulatur (xxxiv-xxxvii).	Regina Franciæ cum Ricciero et papa qui lxx et lxxx millia hominum collegerunt, Fioravanti opitulatur (lviii).
	Drugiolina et Fioravante in castellum fugiunt quod obsident Sarraceni (liv).
Fioravans Christianos cum Sarracenis, ante Baldæ mœnia, manus conserere spectat; et ubi dubium pugnæ exitum videt, a Drugiolina quæ ei portas aperit, armatus exit et Sarracenos fugat (xxxviii) [1].	Fioravans Christianos cum Sarracenis, ante castelli mœnia, manus conserere spectat; et ubi dubium pugnæ exitum videt, a Drugiolina quæ ei portas aperit, armatus exit et Sarracenos fugat (lix) [1].
Balda direpta, Fioravans, papa et ceteri in Franciam redeunt (xl.)	Fioravans, papa et ceteri in Franciam redeunt (lx.)

1. Cf. duo hæc loca a priori et a posteriori Fioravantis historiæ parte desumpta.

1° Cap. xxxiii (sub fine) : Drugiolina disse : « Vorresti voi uscire di prigione?... Quando voi vorrete uscire di prigione io vi recherò le vostre armi e daròvi i vostri cavalli e arnesi. » Cap. xxxviii : E Drugiolina disse : « Tutta la giente cristiana fuggie, e chi non fuggie si è morto, e oro effiam*ma* si è abattuta in terra essimigliante mente l'altre tutte, e i signori sono per terra. » E Fioravante disse : « Ora m'apparecchiate tutte le nostre armi elli nostri destrieri. » Ed ella lo fecie, eppoi gli trasse di prigione; e amendue li baroni (Fioravante scilicet et Rizieri) furono armati di grandissimo vantaggio. E quando Fioravante si venne a mettere l'elmo, e Drugiolina l'abraciò e baciò e disse : « Ora si porta bene per lo mio amore. » E poi gli misse l'elmo in testa e dièglì una grossa lancia e un bello scudo e sì gli cinse Durlindana (Durandal) e calzolli li sproni eppoi l'abbraciò e disse : « Amor mio, riguarda il mio padre, ch'almeno tu [no]llo uccida. » E Fioravante disse : « Non vi fa bisogno di pregare. » A tanto si partirono gli due cavalieri, etc.

2° Cap. lviii-lix . E Drugiolina disse : « Ora t'arma. » E Fioravante disse ; « Lascia inprima vinciere l'una delle parti, ch' io voglio vedere como si porteranno i cristiani ; » E sta a vedere. A tanto percosse lo re Balante colla sua giente, etc... ello re Balante uccidea molta giente, etc... ella reina vedea pur male andare i cristiani, etc... Quando Fioravante vide le 'nsegne dei cristiani abbattere, e Fioravante s'armò, e Drugiolina li mese l'elmo in testa e una ghirlanda suso. E due contesse gli calzarono gli sproni ; e l'una gli tenea la staffa, ell'altra li porse lo scudo ella lancia. E quando fu a ca-

Quum verisimile sit, ut infra videbimus, LXXXVII capitula e quibus constat liber *il Fioravante* ex antiquiore poemate *franco-italiano* in prosam orationem versa fuisse, hoc autem poema e variis in unum collectis gallicis poematibus derivatum esse, nunc credere est poematis franci-italiani auctorem, quod ad Fioravantis historiam attinet, duo unius et ejusdem textus diverse retractata exempla in unum collegisse.

Per conjecturam non temerariam quidem ambos illos textus assequi possumus; unum enim Floovantis (Fioravantis) casus referre, ut a patria domo exsul, servata regis Flori (Fiorio) filia, Sarraceniam invadat, per proditionem filiorum Flori regi Balanti Baldæ tradatur, dum Tibaldus ejus ad auxilium Florum, avunculum, Florellumque (Fiorello) patrem nec non papam advocet; favente Drugiolina Balantis filia Floovantisque amica, Floovantem e Balda exire et cum Christianis Sarracenos profligare, Baldam autem diripi, Drugiolinamque in matrimonium a Floovante duci. Quod vero ad alterum, non obliviscendum est non fieri potuisse quin multis mutationibus deformaretur gallicus textus [1] ut hanc narrationis partem priori exacte adaptaret italianus scriptor; ita de narrationis summa modo nobis judicandum: Floovantem scilicet, a patria domo exsulem, eremitæ consilia et auxilium recepisse, in regis a Soldano obsessi aulam pervenisse, ibique per proditionem in carcerem projectum, unde per Drugiolinæ filiæ regis artes, in castellum quoddam aufugerit; ibi a Francis opem afferri; castellum diripi, Balantem profligari, Drugiolinamque in matrimonium a Floovante duci. Ita ut, quantum affirmari potest, ambo textus in hoc præsertim discrepent quod in uno Floovans Baldæ (= Balmæ, in gall. Floovante) a Sarracenis retineatur, in altero autem in castello obsideatur. Sed e duabus istis narrationibus prior gallicum nostrum Floovantem potius in mentem revocat, posterior hollandicum Floovantem, unde concludere licet poematis franco-italiani scriptorem duo poematis gallici exemplaria sub oculis habuisse quæ in unum redegerit.

vallo. e Drugiolina disse: « Riguarda lo mio padre, amor mio. « E Fioravante disse: « Madonna, volontieri. » E ciascuna l'abbracciava e baciava. E Fioravanto uscì fuori al campo, etc

1. Scurrarum personas, in secunda *Fioravantis* parte ex italiano fonte derivari patet, quippe quæ italianis in poematis, non vero in gallicis induci soleant. Cf. G. Paris, *Histoire poétique de Charlemagne*. p. 182, n. 1.

Cap. V.

De prima libri il Fioravante *parte seu de Fiovi historia.*

Nunc ad sexdecim prima libri de *Fioravante* capitula revertamur, in quibus Fiovi, Constantini imperatoris nepotis, exponuntur historiæ. Quæ quidem fabula a gallico poemate manat, quod hodie amissum est, sed cujus imaginem islandicæ versiones referunt, vestigia autem quædam recentius aliud gallicum poema, *Florent* scilicet *et Octavien*. Quod amissum poema ut restituatur, primum recensendæ sunt islandicæ versiones.

§ 1. DE ISLANDICA FLOVENTS SAGA FRACKLANDS KŒNGS.

In Hafniensi B. Arnæ Magnæi bibliotheca sex asservantur codices qui unius et ejusdem textus gallici versiones prosa oratione scriptas continent, et quorum alii sæculo XIV vergente, alii sæc. XV ineunte exarati sunt. Textus islandici isti in latinum sermonem a studioso quodam Olavio nomine, anno 1732, conversi fuerunt. Hanc translationem ipso ab auctore scriptam inclitus noster Comes *de Plelo*, Franciæ in Dania legatus, in Bibliothecam Regiam anno 1732 vel 1733 misit [1]. Quæ ad calcem hujusce libelli nunc primum in lucem editur.

1. « Parmi les manuscrits, peu nombreux du reste, provenant des envois du comte de Plélo à la Bibliothèque du Roi [1], il en est quelques-uns d'importants : les versions islandaises de l'*Histoire de Charlemagne* [2] et de la *Floovant Saga* [3]; plus une traduction latine que Plélo en fit faire en 1732 à Copenhague, par un étudiant islandais, Jean Olaf, d'après six manuscrits dont il a soigneusement relevé les variantes [4]. Il faut y ajouter quelques

1. D'autres y entrèrent après sa mort. On nous a signalé notamment les manuscrits français 12,446 et 12,447.

2. Fonds scandinave, n° 7.

3. *Ibid.*, n° 23.

4. Ancien fonds latin, n° 8,516. C'est celui que mentionnent MM. Michelant et Guessard dans la préface de la *Chanson de geste* de Floovant, *Anciens poëtes de la France*, 1858, in-12. *Domini J. Grammii Bibliothecarii regii mandato obtemperaturus*, dit Olaf dans sa préface.

Quum versioni præfationem præposuerit Olavius, in qua de codicibus, de fabulæque gallica origine, ingeniose, ut pro tempore, disserit, lectorem ad hanc præfationem remittimus.

In Holmiensi bibliotheca duo etiam codices (de quibus jam disertissime scripsit A. *Geffroy* [1]) asservantur qui Floventis Francorum regis sagam continent. Quorum excerpta et notitias a doctissimis Bugge et Klemming communicatas, quum Olavii versioni contulerim, certior factus sum ab eodem textu e quo Hafnienses codices derivatos esse Holmienses. Codicis 6º initium detritum est ; media ultimaque deficiunt folia [2] ; ut monet *Geffroy*, sæc. XIV vergente scriptus est. Quod ad cod. 47. chartac. in-fol., ut ad me scribit professor Sophus Bugge : « Nº 47 ist eine schlechte Abschrift aus dem Jahre 1691, von Vigfusson warscheinlich nach einem Kopenhagener Codex, wenigstens nicht nach cod. Holm. nº 6, ausgeführt. » In 47 capitula dividitur quibus, ut putat Dr Klemming, titulos præposuit Vigfusson.

Ex collatione inter excerpta a Dr Klemming communicata et varias Olavianæ versionis lectiones instituta, mihi Vigfusso-

documents historiques, etc. » E. J. B. Rathery, *Le comte de Plélo, un gentilhomme français au dix-huitième siècle, guerrier, littérateur et diplomate.* Paris, 1876, in-8º, p. 180.)

« De tous les ministres du Roy dans les pays étrangers, celuy qui s'est le plus attaché à répondre aux intentions de la Cour en ce qui concerne les intérêts de la Bibliothèque de Sa Majesté, est sans contredit M. le comte de Plélo, ambassadeur de France en Danemark. L'esprit, le goût et l'érudition d'un tel correspondant assuroient le succès des recherches qu'il s'étoit chargé avec joie de faire en leur donnant toute l'étendue qu'elles pouvoient avoir ; elles embrassoient, en effet, suivant le projet qu'il en avoit communiqué à M. le comte de Maurepas, et que ce ministre avoit fait agréer au Roy, toute la littérature du Nord, histoire ecclésiastique, civile et naturelle, ancienne et moderne, jurisprudence, philosophie, médecine, poésie, belles-lettres ; en un mot, M. le comte de Plélo se proposoit de répandre dans la bibliothèque du Roy tous les livres qu'il pourroit acquérir sur ces matières, non-seulement par rapport au Danemark, à la Norvége et à la Suède, mais encore par rapport à la Russie, à la Poméranie, et aux autres États voisins de la mer Baltique. » (Boivin, *Mémoire historique sur la bibliothèque du Roy*, en tête du premier volume du *Catalogue des livres imprimez de la Bibliothèque du Roy*, p. LXXVIII ; apud Rathery, *op. cit.*, p. 174.)

1. *Archives des Missions scientifiques*, t. IV, p. 221. — Gallici Floovantis editores Holmienses codices a Geffroy indicatos et Hafnienses ab Olavio in latinum sermonem translatos confundunt.

2. Hæc Dr Klemming.

nense exemplar ex Hafniensibus codicibus transcriptum fuisse constat quos litteris B et A designat Olavius; octo autem codices tam leviter inter se discrepant ut primitivam versionem e gallico textu manantem facillime restituas [1].

Jam Olavius in versionis præfatione islandicum textum a gallico derivatum suspicatus est, quem « inter ea commentorum genera quæ vulgo *Romans* (Fabulæ romanenses) appellantur » reponit; et jure : quod adeo clarum est ut vix demonstratione opus sit. Facillime islandicus textus in versus gallicos vertatur.

Historia hæc neutiquam commentis constat, quibus ingeniosi viri delectari solent, quia magister Simon invenit eam in urbe Franciæ Lion ubi scholæ præfuit, eamque in linguam francicam stylo admodum eleganti transfudit. Historia hæc agit de primo Francorum imperatore qui verum Deum coluit ejusque legibus obtemperavit. Hic Constantini annosi illius Imperatoris, quem Sylvester Papa sacris Christianorum imbuit, ex sorore nepos, nomine Flovent fuit, etc.	Seignor, or faites pais, s'il vos plait escoltez Chançon de bele istoire, ja meillor n'en orrez. Ce n'est mie mençonge, ainçois fine vertez; Maistre Simons la fit, uns clers d'antiquité; A Lyon sur le Rosne a le role trové; Si vous l'a en romanz bel et a point torné. Or commence chançon, s'entendre me volez, C'est d'un empereor de France le regné, Qui premiers aora le Dieu de maesté, Et requenuit sa loi et son nom honneré. Cil fu niès Constanti, al vieil et al barbé, Que li sainz apostoiles Silvestre li senez Fit el nom del Jhesu baptisier et lever. Fiz fu a sa seror, fille Helene al vis cler, etc.

Quaque pagina, per duplicem versionem, islandicam scilicet et latinam, nostrorum poematum gallicorum, nostrarum *gestarum* stylus et describendi modus elucet. Unum modo et alterum afferre exemplum sat erit.

Infra, p. 152, hæ Floventis leguntur preces :

« Deus conditor cœli et terræ, firmissima credentibus columna, asylum cuilibet peccatori tutissimum, tu cœlum tuum

1. Nonum addamus exemplar recentissimum quidem, quod in nostra bibliotheca nationali Parisius asservatur (vide supra, p. 59, n. 1, et 3); sæc. XVII exaratum est; chartaceum, parvum in-4°. Initio de magistro Simon loquitur; gallicum proverbium (vide p. 64) non continet. De quo, ut de duobus Holmiensibus codicibus, vide infra, p. 172.

reliquisti, genus mortalium redimendi gratia, conceptus in utero purissimæ Mariæ virginis, et natus Bethleemi, hominum peccantium delicta in Jordano lavasti, XL diebus et totidem noctibus jejunasti et Lazarum, cum quatuor dies in sepulcro jacuisset, a mortuis resuscitasti; pœnam humani generis Patri tuo ex asse pependisti. Tertio die resuscitatus nobis spem gloriosæ resurrectionis attulisti, cœlum demum ascendisti, et Spiritum sanctum Apostolis misisti; ut hæc omnia, serenissime assertor, verissima esse credo, ita quæso, ex omnibus periculis me eripe, etc... »

Nunc has Rollandi moribundi preces confer :

Veire paterne, hoi cest jor me defend,
Ki garesis Jonas tut veirement
De la baleine ki son cors avoit *enz*,
Esparignas le rei de Niniven,
E Daniel del merveillus turment
Enz en la fosse des leons o fut enz,
Les .III. enfanz tut en un fou ardant :
La tue amur(s) me seit hoi en present.
Par ta mercit, se tei plaist, me cunsent
Que mon nevold poiss*e* vengier Rollant.

(*Rol.*, éd. Gautier 3100 et sqq.)

Vel has comitis Willelmi :

[Dex, dit Guillaumes, biau pere espirital,
Qui en la Virge preistes vostre ostal]
De li nasquistes au saint jor del Noual,
Et puis soufristes par nos mort criminal,
Dou lait infer brisastes le portal,
Ciaus en gestastes ki en puis n'eurent mal
Tout sont en gloire par vie demanal ;
Si com c'est voirs, si aidies vo vasal
K'encore voie Guiborc au cuer loyal, etc.

(*Aliscans*, v. 546-554.)

Vel has Olivarii Sarracinum *Fierabras* aggredientis :

Glorieus Sire peres, qui formastes Adam

Et Evain sa moullier, dont li pules sunt grant...
Puis furent li dyable en apres si poissant
Qu'i n'estoit saint ni sainte, tant fuissent bienfaisant,
Ne convenist aler en ynfer le puant.
Pités vos en prinst, Sire, quant souffert eustes tant;
Par saint Gabriel l'angle fu fais l'anoncement
Que en la sainte Virge prenderies naissement...
Puis alastes par tere vos amis preechant
Le bien leur demonstrates et alas pourcachant.
En la crois vous pendirent li felon mescreant....
El sepulcre fus mis apres nonne sonnant,
Au tierc jour en apres eus suscitement....
A saintismes apostres fustes apparissant,
Commandas que ton nom alaissent preechant;
Puis montastes ou chiel, trestout lor ex veant.
Si voirement, biax Sire, com jou i sui creant,
Et c'est voirs que j'ai dit, si me soies aidant...

(*Fierabras*, v. 920-960.)

Nonne credas auctorem poematis *Fierabras* nostri poematis imitatorem fuisse, nisi heroicæ nostræ poeseos *locos communes* te hic legere scias?

Quum illas pugnarum descriptiones legis in quibus tot franguntur loricæ, tot membra dissecta disjiciuntur, ut p. 137 (*videre tum licuit*, etc.), aut, p. 147, n. *n (Tum multæ galeæ*, etc.), aut p. 160 (*Tum multa ibi dissecta*, etc.), nonne tibi in mentem subeunt versus isti qui in omnibus præliorum narrationibus offenduntur.

En la grant presse or i fiert cume ber
Trenchet cez hanstes et cez escuz buclers,
E piez e puingz, espalles e costez.
Ki lui veist Sarrazins desmembrer
Un mort sur l'altre *a la tere* geter
De bon vassal li poüst remembrer.

(*Roland*, v. 1967-1972.)

La veisies fier estor esbaudir,
Tant hanste fraindre, et tant escu crossir,
Et tant hausberc derompre et dessartir,

Tant pié, tant poing, tante teste tolir,
L'un mort sur l'autre trebucer et chaïr, etc.

(*Aliscans*, v. 50-54.)

Denique e sex islandicis codicibus in bibliotheca B. Arnæ Magnæi asservatis et secundum quos suam versionem confecit Olavius, unus, codex scilicet per litteram F ab Olavio designatus, proverbium gallicum gallice scriptum continet. Quod jam notavit Olavius in prœmio. Non semel islandici translatores suis versionibus hic et illic quosdam gallici textus versus inserendos curaverunt, cujus rei exemplum vide in Karlamagnus sagæ summa a G. Paris edita [1].

Quum maximi momenti horum verborum gallicorum certiorem Olaviana transcriptionem sub oculis habere mihi esset, per gratiam amici J. Storm et domini S. Bugge Christianiensium, a doctoribus Oderschiœld et Fr. Wulff proverbii transcriptionem et explicationem accepi, quale fert codex F, scilicet codex Arnæ Magnæi 580 A, in 4°, circa annum 1300 exaratus : Hic est locus :

« Fracka konvngr svarar. θv inn versti pvtv son. leingi hevir θv illzkv fylzt. ok synir θv i θinom orðvm hegomliga ætlan. ok nv sannaz θat er fornqveðit er a frankis manna tvngv. ð « Kicent smθeplvs q^{e}sa chra pene tenet tost q^{a}nt frendvret. » θat er sva a vara tvngv. sa er lengra rettir sinn fót en yfir hofn hans tekr. hann iðraz θegar kolði kemr at hanum. »

Quod secundum gallicam domini Wulfii versionem sic ad verbum interpreter : « Rex Francorum respondet : Tu, pessime fili meretricis, diu fuisti malitia plenus, et monstras tuis vocibus stultum consilium ; et nunc verum illud jam longo a tempore gallice dictum : etc..... hoc est in nostra lingua : « Qui longius protendit pedem quam suum pallium, eum pœnitet statim ac frigus venit. »

Gallicum proverbium sane a scriba vel scribis (monachos fuisse verisimile est) qui primitivum translatoris islandicum textum transcripserunt, corruptum est. Si scripturæ mediævalis ratio habetur, et *siglorum* litterarumque quæ inter se facile confunduntur, fere totum restaurare licet in hunc modum : *Ki tent son pie plus que sa cha(pe?) pene tient tost quant freid vient.*

1. *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes,* sixième série, I, p. 19.

Quanquam gallicam proverbii formam conjectura assequi licet, incertior est quam ut quidquam de gallici, in quo insertum est, textus natura et origine inde deducas. Una vox modo certa esse videtur, *freid* (= *froid*), quæ normannicam vel anglo-normannicam originem arguit. Constat autem translatores noricos anglo-normannicis textibus uti solitos, quum Scandinavia et Britannia per medium ævum stricto commercio conjungerentur [1].

Antequam fabulæ argumentum aggredimur, de nostri gallici poematis auctore [2] quandoque vixerit aliquid dicendum est. Auctor enim nomen sæpissime in poemate inscripsit [3] : ludimagister erat [4], Simon nomine, Lugdunensis.

Quo vero in tempore scriberet, difficillime dicas : attamen nostræ fabulæ alludit *trovator* Bertrannus, qui *joculatori* suo Gordoni ignorantiam crimini dum vertit, inter alia poemata illi ignota, nostrum quoque citat :

> Ni no sabetz novas de Floriven
> Que pres premier de Fransa mandamen.
>
> (Raynouard, *Choix des Troub.*, V, 103.)

Istos versus gallici poematis editores nostro Floovanti referunt [5].

Sed doctissimis editoribus assentiri nequimus ; Bertrannus

1. Cf. *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, cinquième série, t. V, p. 106 ; sixième série, t. III, p. 309.
2. Vel retractatore.
3. Ut videre est in proœmio secundum codices Hafnienses A B C F et Holmiensem 47, et p. 8, n. *d* ; p. 11, n. *e* ; p. 31, n. *e* ; p. 40 *(qui hanc historiam composuit magister Simon*, arbitratus est...) ; p. 47, n. *d* ; p. 51, n. *n* : p. 54, n. *g* : p. 68, n. *a* : p. 73, n. *l* : p. 78-79, n. *k*.
4. Si codici F adhibenda est fides. Nullius momenti est codicis Holmiensis 47 testimonium quum nullum præbeat sensum : qui refert fabulam a Simone in urbe *Saxoniæ*, Lugduni scilicet, repertam fuisse ; in qua Simon iste *in schola erat* (!), Simonem autem hanc fabulam *Parisios in Franciam magno apparatu transtulisse !* Textum corruptum esse a scriba apparet.
5. « Nous n'hésitons pas à reconnaître dans *Floriven* le héros de notre poëme. Quant à cette désignation :

> Que pres premier de Fransa mandamen

Elle est susceptible de plusieurs interprétations, mais doit s'entendre, selon nous, au sens indiqué par ces vers :

enim de quodam *Floriven* loquitur qui primus Franciæ imperium tenuit; hic autem non *Floovans* gallici, id est Monspessulanensis, poematis esse potest qui Cloovisii filius habetur. Versus provincialis poetæ melius de gallico textu intelligitur quem converterunt islandici scriptores; quippe qui Floventis cujusdam casus narrant qui, Constantini imperatoris nepos, *primus* Franciæ regnum conquisivit et ad Christianam fidem adduxit [1].

Nostrum hoc Floventis poema quod instaurandum curamus Bertranno notum erat, et Bertranni tempore celeberrimum. Quum vero Bertrannus medio sæculo xiii floreret, inde colligendum est Bertranno æquævum aut, quod verisimilius, natu majorem esse magistrum Simonem, eumque sæculo xiii° vel xii° vixisse.

Nunc ad fabulam veniamus.

Qui Olavii versionem, in calce hujusce libri editam, legerit omnes narrationis partes inter se optime congruere, variosque casus alios ex aliis necti inveniet, si duas res exceperit; scilicet quæ narrantur, hinc de Marsibillæ Sarraceni regis filiæ in Floventem amore, illinc de sorte filiæ regis Francorum Florentiæ. Quod ad filiam regis Francorum, quid de ea agatur, post patris necem, non curat auctor. Flovens quem hæc adamat, patrium regnum occupavit, sed amici filiam, ut videtur, dedignatus deseruit. Etenim suis sociis Othuni Gofreidoque Fausetam et *Florentiam* [2], Sarracenas ambas, Marsibillæque amicas, uxores dat. Mutilum hic esse gallicum textum, et in nominibus erravisse scriptorem credas; et narrationis ratio conjectari, imo affirmare jubet tertium socium, Ansæim scilicet, Floventis consobrinum, cum regis filia connubium duxisse; quod quidem cum italiana fabula concordat in qua regis Fiorenze filiam ducit uxorem Ansoigi (Ansæis).

De Marsibillæ in Floventem amore, narratur (cap. xv) Othu-

Cil Cloovis fu rois et prouz et pous.'iz;
De sa franche moilleir ont .iiii. fiz gantis.
Li ainez ot an non Floovain li marchis.
A celui commandai à garder son pais.
Et trestote la terre, que en pié (corrige *pais) la tenist.* »

1. Hæc jam Pio Rajna, *Ricerche*, etc., p. 63.

2. Secundum codicem A; C D F autem *Florentam*; B *Florentem* : vide p. 65, n. *e* : sed tria hæc nomina unum ac idem esse patet, filiæ scilicet regis Florentis.

nem Floventis armigerum, a Sarracenis captum, Marsibillæ animum commovisse, quia ipsa amore Floventis incendebatur.

Sed nusquam antea in libro de hoc amore locutus est auctor, nec quam ob causam, nec quando in Marsibillæ pectore creverit explicat. Gallicum igitur textum qui in islandicum sermonem translatus fuerit quadam parte imperfectum fuisse credendum est Quod si ad italianam imitationem vertimur, Marsibillæ amorem sic ortum reperimus : « Ella sapea delle sette arti liberali, sicch'ella avea trovato siccome Fiovo doveva venire in quelle parti, essiccome doveva essere suo marito, e come dovea signoregiare tutto questo paese » (cap. II). Num credendum hanc explicationem italiano auctori propriam esse, qui quum in textu gallico nullam subesse amori Marsibillæ causam vidisset, novam commentus fuerit? Non enim ad magicas artes gallici refugere solent auctores ut Sarracinarum pectus amore christianorum bellatorum incendant [1]. Quæ debellantes conspicere, mirari, et adamare solent. Amorem virtus, non magia gignit. An aliter res sese habuerit?

Supra dictum est in capitulis LXI-LXXVII libri italiani a Pio Rajna editi Drugiolinæ, Fioravantis uxoris, injuste accusatæ varios casus et miserias referri. Demonstravit Rajna hanc libri partem a gallico poemate derivatam cujus in promptu possidebat germanicam sæculi XVI versionem de *Florente et Octaviano*. Animadvertit etiam multo magis complexum quam italianum germanicum esse textum, eum autem quædam referre quæ non ad Drugiolinæ, sed ad Fiovi (nostri Floventis) historiam spectent. Drugiolinæ filius Florens, a mercatore parisiensi pro filio adoptatus, Parisiorum Lutetiam a Soldano obsideri ægre ferens, arma capit, et, rege Dagoberto favente, gigantem Sarracenum victoria de gallico duce Garnerio de Montdidier relata ferocem, aggressus, debellat, Marsibillamque Soldani filiam, medio in prælio, non invitam rapit. Quæ cum Fiovi historia comparat Rajna, suspicatus *Florentis et Octaviani* auctorem gallicam Floventis historiam imitatum esse. Quod quidem jure suspicabatur acutissimus professor.

1. Galiena quidem in poemate *Mainet* dicto per magicas artes de sort futura amici Caroli certior fit. (Vide *Romania*, IV, 312 et 333). Sed fatum, non amorem docetur.

Ex quo enim suum librum scripsit, gallici *Florentis et Octaviani* poematis Paulinus Paris in tomo XXVI *Historiæ litterariæ* fusius exposuit argumentum [1]. Quæ autem in hoc poemate narrantur de Florentis facinoribus, et de Marsibillæ amore produnt Florentis et Octaviani scriptorem *Floventem* in imitationem deduxisse.

Sarracenus enim *Fernagu,* ut in isl. textu Corsablinus (cap. VII), Marsibillæ amore pulsus, regiam Francorum urbem aggreditur; ut in island. Flovens, ita Florens regis filius, ignotus et humili de stirpe habitus, Sarracenum ad certamen provocat qui, ut Corsablinus in isl. textu Othunem, sic in nostro Garnerium ducem captivum fecit. Ut in isl. Corsablino dextram obtruncat Flovens, sic Florens brachium Fernago abscidit [2].

Certamini adest Marsibilla quæ victorem mirata deperit. Florens puellæ suadet ut christianam fidem amplexa cum ipso connubium petat; quod propositum non aspernari videtur Soldani filia.

Hic fusius amoribus Florentis et puellæ immoratur auctor; quod referre non ad nostrum propositum spectat : hoc certe notemus : quum, hinc island. textus amori Marsibillæ causam nullam subdat, Floventis autem cum Sarraceno duce certamen noverit; illinc in *Florentis et Octaviani* poemate idem certamen ineat Florens, et, victoriæ pretium, Marsibillæ amorem referat, forsan jure concludendum in island. textu, aut saltem in textu quem hic secutus est, ejusdem generis narrationem exstitisse. Quod eo facilius admittas, quod hanc aut certe simillimam in gallico Monspessulanensi *Floovante* invenimus narrationem [3].

1. Hujus poematis in Bibl. Nation. tria asservantur exempla; *f. fr. :* 1452 (P. Paris, *ibid*, p. 303, errore typographiæ 2451); 12,564; 24,384 : quartum in Bodleiana; omnia sæc. XIV° vel XV° scripta.

2. De son (lege *s'*) espee luy a si ruste cop feruz
Par la ayde Dieu (lege *l'aide du Seigneur*), le pere de lassus,
Que le bras lui a fait rouller a terre juz.
La hache luy chiy dessus le pré herbuz.
(Ms. 1452; v. 2852 et sqq. fol. 37 a, l. 18).

Vide ejusdem generis certamen Maineti et Braimantis in *Cronica general de España*, *Histoire poétique de Charlemagne*, 237.

3. Cf. Rajna, *Ricerche*, p. 77. Patet *Florentis et Octaviani* auctorem a *Flovente* hanc narrationem desumpsisse. Etenim quem possidemus textum re-

§ 2. DE FLORENTINO ET DE PARISIENSI LIBRO DE FIORAVANTE ET DE REGIIS FRANCIÆ *(I Reali di Francia)*.

Quid in Italia de *Florentis, Constantini nepotis*, fabula actum est? Jam vidimus textum hunc gallicum, hodie amissum, quem transtulit islandicus scriptor, ab italianis auctoribus non neglectum fuisse ; inde enim excerpta sexdecim prima libri de *Fioravante* a Pio Rajna editi capitula ; e libro de *Fioravante* auctorem *Regiorum Franciæ* bonam partem primi suorum collectaneorum libri desumpsisse. Præterea vero novum, ignotum adhuc, codicem libri de Fioravante possidemus, qui summatim duabus vel tribus paginis Historiam nepotis Constantini refert, ad cetera cum Rajnensi libro de Fioravante plerumque congruit. Quid inter hos textus intersit et quomodo a fonte gallico derivati sint, nunc inquirendum.

Et primum de Rajnensi *Fioravante*. Quod ad nomen personæ, *Fiovo* vocatur qui in islandico *Flovent ; Fiovo* et *Flovent* unum ac idem esse nomen facile apparet ; *Flovent* enim in italiano sermone *Fiovente* sonat ; sed quum jam Fiovi nepoti italianus auctor *Fioravante* nomen imposuisset, ut alia esset terminatio, *ente* in *o* mutavit, unde *Fiovo*. Patet igitur italiano auctori gallicum textum notum fuisse in quo personæ nomen *Flovent*, ut in islandicæ versionis exemplari, non *Floovent* erat. Sed inter *Flovent* et *Floovent* nihil aliud interest nisi quod *Flovent* contracta, et ideo *recentior*, vocabuli *Flooventis* forma est. Jure igitur concludendum est textum quem islandicus scriptor transtulit, quem italianus imitatus est, recentiori tempore scriptum fuisse, in quo duæ vocales in unam jam contractæ erant.

Quod ad fabulam, islandicus et italianus textus, rebus generaliter acceptis, congruunt. In utroque enim Constantini ex sorore nepos, occiso duce, aufugit comitantibus duobus amicis

centissimus est : qui maxime intricatos et prolixos casus refert, ita ut quædam vetustioris poematis retractatio merito ducatur. Priscam autem hanc narrationem secutus est Fioravantis italianus auctor qui de amoribus Florentis et Marsibillæ nihil novit. Verisimile est igitur auctorem nostri codicis varios casus, de more, e veterioribus poematis detraxisse, Marsibillæ personam e *Florentis* (island.), Maugaliæ autem e *Floovantis* (Monspessul.) poemate ; etc.

Othune et Gofreido (armigeris in island., consobrinis in italian.), quos prosequitur imperator equo (*Magremont* in isl., in ital. *Joyeuse*, perperam quidem) invectus ; sed a nepote vincitur, qui equo rapto aufugit.

In utroque tres juvenes iter pergunt et eremitæ domum petunt qui, ab Angelo monitus, Floventem (Fiovum) fata docet, et Florenti (Fiorenze) regi Francorum a Saxonibus obsesso opitulaturum mittit. In island. diversis armis donatur Flovent, non autem in italiano Fiovus, quippe qui Roma armatus decesserit. Italianus addit, peracto officio, obiisse eremitam.

In utroque tres juvenes, dum iter pergunt, loricatos equites (IV in island., XII latrones in ital.) profligant et castellum a latrone (*Fabrino*, island.) defensum adeunt, in quo se christianos esse professi, lacessuntur. Fabrinus autem inter pugnandum interimitur.

In utroque eadem de Ansæi (Ansoigi), Floventis (Fiovi) consobrino, in sodalitium accepto, narratur fabula, et de Sarraceno cervum agitante et certamen cum Flovente (Fiovo) ineunte. Tandem per Galliam iter tendunt, Orlientem (isl.) aut Provinum (ital.) transeunt, et Parisios adeunt quorum portas romanis equitibus aperire recusat janitor. Addit italianus ab eis trecentos profligari Sarracenos, admirante de palatio Francorum rege Fiorenze.

Quam stricte adhuc, in prima scilicet fabulæ parte, inter se congruant ambo textus, lectorem non fugit. De minimis modo discrepant.

In reliqua fabula, comparatio inter island. et ital. difficile instituatur quum summa modo narrationis congruat. In utroque invenimus Salatrem Saxoniæ regem, qui Corbolii castra posuerat, longum cum Francorum rege Florente (Fiorenze) gerere bellum ; inter pugnandum Othunem a Sarracenis captum, Marsibillæ Salatris filiæ commissum, ab ea, Floventis (Fiovi) amore, cum donis dimissum esse ; Floventem (Fiovum) filiam regis Francorum aspernatum ; Corsablinum interea a Flovente (Fiovo) vulneratum, captum, comiter habitum ; Salatris filios regi auxiliatos ; post varios Martis incerti casus, Salatrem devictum et captum ; Corbolium igne et ferro a Francis dirutum ; Marsibillam christianæ fidei accitam a Flovente uxorem ductam, et Floventem tandem, occupato Florentis (Fiorenze) interfecti regno, Franciam ad veri Dei cultum adducere.

Eumdem igitur narrationis tenorem in utroque textu habes. Sin autem singula consideraveris, quædam in isl. textu afferri aut omitti quæ non ita in ital. Ut gravissima modo indicem, in isl. inter pugnandum a Sarracenis interficitur Francorum rex Florens, cui, relata de Salatre victoria, succedit Flovens, Marsibillamque uxorem ducit et Marsibillæ socias Fausetam Othuni, Florentiamque Jofreido uxores dat. De regis Florentis filia quæ Floventem amabat, ut supradictum est [1], tacet auctor.

In ital. aliter res sese habent. Devicto Salatre, Fiovus Marsibillam uxorem ducit; quapropter iratus rex Francorum, quippe qui suæ filiæ virum Fiovum speraret, juvenem veneno auferre tentat. Res cum male successisset, eum interimit Fiovus, natæ autem veniam dat quam Moguntia, Scotia, Irlanda, Flandria Brabantiaque donatam uxorem ducit Ansoigi, « e di costei naque la giesta dei traditori, ciò fu Ganellone di Maganza e suoi disciendenti. »

Hic apparet quem sibi proposuerit finem italianus auctor qui seriem, *gestam* proditorum, ut apud italianos scriptores solitum est, e gente Moguntiana trahit [2].

Alter codex quem *parisiensem* dicemus (in Bibliotheca Nationali Parisiis asservatur), fuit anno 1873 a bibliopola Parisiensi *Tross* nostræ bibliothecæ venditus. Chartaceus est, parvus in-4°, sexaginta foliis constans. Fuit die decimo Septembris, anno M. CCCC. LXVII exaratus [3], ut per notulam ad calcem scriptam videre est, « in la roccha de Ponte vigo », id est, in castello vici Ponte vigo dicti. Inde colligere licet scribæ cujusdam opus esse qui apud Dominum de Ponte vigo officium suum exercebat. Ponte vigo est vicus qui sex vel octo leucas a Brixia distat, ad meridiem et orientem hujusce civitatis, inter Cremonam Mantuamque, in finibus Longobardiæ et Venetiæ, quemque transfluit fluvius Oglio.

Codicis istius textus in tres partes dividi potest.

Pars prima, folia 1 *a* et *b*, et 2 *a* (sex lineis exceptis) summam historiæ Fiovi continet quam in capitulis I-XVI exponit Rajnensis *Fioravantis* liber. Pars secunda, a folio 2 *a* (ad finem) usque ad medium fol. 55 *b*, cum reliqua Rajnensis *Fioravantis* libri

1. P. 66. — 2. Vide infra, p. 78.

3. Codex Fioravantis Laurentianus circiter ad id tempus scriptus est: « il dì XI di novembre nel mile quatrocento setanta due » (Rajna, *Ricerche*, 23).

parte congruit, id est, Fioravantis, Fiovi nepotis, historias, Drugiolinæque Fioravantis uxoris et filiorum casus narrat. Pars ultima admodum nova est, nec ad nostram fabulam spectat; explicat quomodo imperium romanum Papa a Francigenis abstulerit, Germanis vero dederit : de quo in parte tertia hujusce libelli aliquid dicemus [1].

Pars secunda non modo in summa, verum etiam in singulis, cum Rajnensis *Fioravantis* libro congruit, ita ut unius textus diversa exempla parisiense hoc, florentinum illud credas. In hoc modo discrepant quod paulo brevius solet esse parisiense exemplum, in paucissimis tantummodo locis prolixius. Ex hacce tabella quomodo inter se congruant ambo textus lectori patebit.

Textus a Rajna editus (Ricerche, p. 390).

(Cap. XXXIII = Reali, II, 15-16).

Ora dicie lo conto chello re Galerano fecie disfare quello castello, e poi feciono menare i prigioni Fioravante e Ricieri alla città di Balda; e molti altri baroni presono collui. E gli due cavalieri, cioè Fioravante e Riccieri, sì gli diè in guardia lo re a una sua figliuola ch' avea nome Galerana, ea un' altra figliuola delle re Balante *ch'* avea nome Drugiolina la bella. E queste due damigielle gli aveano in guardia, e per le loro mani aveano mangiare e bere, ma non in modo chelli potessero vedere. Elli cavalieri erano stati bene duo mesi pregioni.

Codex parisiensis ital. 1647.

(fol. 12 a, linea 7).

Ora dice el conto chel re Galarano fece diffare tuto quello castello. E Fioravante e Rizero fono preso con multi altri baroni. Fioravante e Rizero fono date in guardia a doi damiselle. L'una avea nomine Galarana, fiola del re Galarano, e l'altra avea nomine Duxilina fiola del re Ballante. E niente gie davanno da manzare aloro stato per doy mesi.

Aliis exemplis non opus est; licet ceterum fragmenta ad calcem edita cum Rajnensi textu conferre : patebit ubique breviorem et contractam esse narrationem.

In quibusdam tamen locis fusior est noster textus, in iis scili-

1. Ad calcem nostri libelli partes codicis ms. I et III integras, ut pote magni momenti, excerptaque partis II edimus.

cet quæ mores rudiores et barbariores describunt. Cujus rei exemplum vide infra, p. 177; quam si conferas cum Rajnensi textu, patebit hujusce scriptorem multa suppressisse quo humanior et decentior narrationi daretur species [1]. Tam ex congruentia quam ex discrepantia liquet prisciorem exstitisse quemdam *Fioravantis* textum, quem elegantiori stylo in toscanum sermonem verterit Rajnensis libri auctor; quemque longobardica vel venetiana dialecto paulo brevius contraxerit nostri parisiensis codicis scriptor. Qualis fuerit priscior hic textus, nunc indagandum.

Demonstravit Rajna Regiorum Franciæ auctorem Andream de Barbarino, Florentinum, vergente ad finem sæc. XIV, et ineunte XV floruisse. Noster autem codex quinquaginta annis vel amplius post compositum Regiorum Franciæ librum exaratus est. At ambos textus conferenti cuilibet manifestum est parisiensis codicis auctori ignotos fuisse Regios Franciæ. Personarum enim nomina quæ refert Rajnensis Fioravante paululum corrumpit, sed non, ut Andreas de Barberino, mutat. *Fiorio* fit *Fionio*, *Brandoia Biondora*, *Galerana Galarana*, *Dardenna Dardagna*, *Drugiolina Druxilana* vel *Druxalana*, etc.; sed Sarracenum a Fioravante occisum (Fior. XXIII) non, ut Andreas *Finau* vocat, sed *Feragu* quod idem est ac *Farnagu* nomen in *Fioravante* relatum. Castellum a filiis Fiorenze regis traditum, ut in Fioravante, anonymum est, nec nomen habet *Monault* ab Andrea datum. Plurima quæ narrationi addit Andreas quo luculentior et planior aut doctior fiat, ignorat, ut et Rajnensis, noster codex. Fabulam modo videat lector de amoribus Galeranæ et Druxolinæ hinc in Rajnensi textu (cap. XXXIII) et in nostro (fol. 12 *a* et *b* et 13 *a* ad finem), illinc in textu Regiorum (II, 15-16); vel quoslibet lo-

1. Ubi in Rajnensis textus (cap. XLVII) Fioravante Drugiolinæ amorem confessæ dicit : « Madonna, che dite voi? Ch' io non vi toccherei per tutto l'oro di Soria, *inperò che io guardo mio onore*; essappiate che io sono molto stanco della persona. » noster codex hæc refert : « E non ve tocchareve per tuto l'oro de questa citade, che io son tropo stancho et fatigato; *ma domane farò zo che vorite* » (fol. 21 *a*). Mihi manifestum est florentinum scriptorem eamdem ob causam hinc verba : « Inpero che io guardo mio more », addidisse, illinc : « Ma domane farò zo che vorite » suppressisse, scilicet ut personis sermonem politiorem attribueret. Sic cap. LI, ubi Rajnensis textus fert : « Oggimai son io al tutto al tuo servigio » noster crudius : « Ora fati de me zo che volete » (fol. 24 *a*).

cos e tribus libris desumptos conferat [1]; manifeste apparebit nostrum codicem, quanquam recentem, e vetustiori (seu directe, seu per media exemplaria) derivatum esse quem non raro fidelius quam Rajnensis refert.

1. Hosce, exempli gratia :

Rajnensis textus, c. XLI.	*Cod. paris.*, f. 17 *a*, l. 27.	I Reali, II, 24-25, ed. Gamba.
Stando Fioravante col suo padre sì andò la novella a Salardo di Brettagna, siccomme F. era tornato. E Salardo con molta giente salì a cavallo immantanente e vennesene a Parigi. E quando fu al palagio del re ad elli smontò, e salì su per le iscale e giunse in sulla sala. Ed elli s'inginocchiò dinanzi dallo re Fiorello e a F., e disse : « Io vi cheggio merciè, se per veruno tempo io v'avessi offeso, che voi mi perdoniate. » E F. disse : « State sicuro, chè io vi perdono ciò che voi m'avete fatto.» E Salardo stette nella corte un gran tempo, e durò la festa de' franceschi per F. ch'era tornato assai tempo, e grande festa ne mantenea il papa con tutta la chericieria e con tutta Italia. E stando F. in Francia e Salardo se n'andò un dì alla madre di F. e dissele : « Voi mi promettesti, quando F. mi tagliò la barba, di dargli la figliuola mia per moglie se io faciessi pacie collui. » Ella reina disse : « Io manderò per	La novella andoe a Salandro como F. era tornato ; e subito montò a chavallo cun multa zente. Tanto chel zonse in Parixe davanti lore, e F., e inzinichiòse ali pedi e disse : « Io quero mercede a vui, sacra Majesta lo Re » et a F. : « che me debiate perdonare se per alchun tempo ve avesse offexo. » E F. disse : « State suxo, che io ve perdono tutto quello che may me ave fato. » E Salandro molto ringracioe e steti in la corte de re Fiorello un gran tempo e granda festa menava ly homini e le donne de Parixe de Fioravante chi era ritornato. E simelmente fasia el papa cun quelli de Italia. E stando F. in Franza, Sallandro andoe della regina Biondora, madre de F., e disse : « Madamma, vui sapete bene zoche ve me promettesseve, quando F. mi tayò la barba, como vuy ly daresseve mia fiola per moyere.» E la regina disse : « Io mandarò per luy, e se gie lo diro. » Salandro se parte, e la regina mandò per F., etc.	Tornato il re Fiorello dall' acquisto di Balda e rimenati a Parigi F. e Rizieri Salardo di Bertagna, il qual era in quel tempo il maggior barone che fosse sottoposto alla corona di Francia, venne a Corte e giunto dinanzi al re Fiorello se gl' inginocchiò ai piedi e domandò perdonanza del passato. Il re Fiorello lo abbracciò e pregòlo che gli rimettesse e dimenticasse la offesa e la ingiuria passata. F. rispose : O nobil principe di Bertagna, ogni offesa vi è rimessa e perdonata : io prego la vostra magnificenza che voi perdoniate a me che per ignoranza vi offesi. Salardo lagrimando l'abbraciò e bacciòlo e disse : Se tu vorrai sarai mio erede. Di questa pace in Francia ed in Bertagna per molti giorni si fece grande allegrezza. Passato alquanto tempo, per lo spazio di tre mesi, Salardo, lamentandosi della promessa che la regina gli fece quando F. fu sbandito, di dargli cioè la figluola per moglie, mandò alla re-

Quod de secunda codicis parte concludimus, non est cur de prima, id est de Fiovi historia summatim relata, statuamus. Conjicere res jubet primas nostri codicis paginas tanquam historiæ Fiovi, quam referebat vetustius exemplar, argumentum esse. Sed hasce paginas qui legerit, et simul cum capitulis I-XVI Rajnensis textus et capitulis I-XLII et LIII-LVIII libri primi Regiorum contulerit propiores esse Regiis quam Rajnensi textui animadvertet. Nova sane indicat : Biondoram (Brandoriam) scilicet fratrem suum per proditionem interfecisse et ejus armis indutam esse ita ut « tanquam Rex procederet » ipsa. Ad quam fabulam hæc pertineant me quidem omnino fugit. Verum quod ad cetera, mors Fiorenzi regis in parisiensi codice eodem fere modo ac in Regiis refertur ; Fiovum scilicet Parisios obsidione tentasse, regem Parisiorum in certamine, spectante et adjuvante uxore Biondora (Brandoria), debellasse et interfecisse, et Francicum regnum occupasse. « Qui finirono, e mancarono, addit Andreas, i primi reali di Francia della stirpe trojana, e qui pure comincia la stirpe di Costantino in cui cominciò a diffondersi la fede in Francia per voluntà del Signore » (I, XVIII)[1].

Animadvertit Rajna primum Regiorum librum plus minusve

lui. » E Salardo disse : « Io mi partirò. » E poi si partì e andonne in una camera e la reina mandò per F., etc.

gina e domandògli la fatta promessa, per la quale avea campato F. dalla morte. La regina rispose graciosamente, dicendo : Ch'egli avea ragione e che diceva il vero, ma ch'ella voleva parlare a F. per metterlo in amore della fanciulla. Salardo si partì contento della risposta. La regina da lì a pochi giorni mandò a F., etc.

1. Quod ad genealogias singulari modo etiam concordant parisiensis codex et Regii Franciæ. Nihil de regum Sarracenorum cognatione loquar, quum Regii Franciæ (II, XI) et parisiensis codex (ad initium fratres Balantem, Galeranum et Balugantem fingant, quod parvi momenti est. Parisiensis codex (1 a, 8 a) et Ulliam Fiorii regis uxorem et Biondoiam Fiovi uxorem et Fiorenzum et Balantem et Balugantem et Galeranum germanos esse declarat! Sed regum Francorum genealogiæ eæ sunt ad quas respiciamus. Hanc seriem præbet Rajnensis *Fioravantis* liber : Fiovo, Fiorello, Fioravante, Gisberto, « e dello re Gisberto non rimase se none uno figliuolo che ebbe nome il re Agnolo Michele. E del re Agnolo non rimase reda, ma rimase suo siniscalco ch'era molto gagliardo e buon nome, e di questo siniscalco sì naque lo re Pipino, » et inter Pipini filios Carlo, et post Carlo, Aluigi (cap. LXXXVII). Memoriam igitur mutatæ familiæ merovingæ conservat Rajnensis Fioraventis

cum cap. I-XVI Fioravantis, secundum autem arctius cum cap. XVII-LX cohærere, ita ut sæpius ad verbum hæc reddat. Noster autem codex ægre cum cap. I-XVI Fioravantis concordat, optime autem cum cap. XVII-LX; in prima vero parte, cum Regiorum primo libro congruit. Sed patet secundam partem non a Regiis Franciæ derivatam esse; concludendum igitur aliud fuisse Fioravantis exemplar quod imitatus fuerit Andreas, cujusque imaginem, deformatam licet, hic et illic reddat recentior parisiensis codex.

Hoc confirmat quædam inter island. textum et Regios concordantia cujus Rajnensis textus vestigium nullum habet. In Regiis, eremita Sansone dictus qui hospitium Fiovo et amicis offert, dicitur fuisse olim paganus princeps a papa Silvestro baptizatus, qui arma tractare callebat, quique socium se tribus juvenibus addit : postea inter pugnandum occumbit (Reali I, VIII et XXX). In rajnensi Fioravante aliter res sese habet. Sanctus enim est eremita qui quadraginta abhinc annis solus per montes vivebat, quique, simul ac arma divina Fiovo dedit, confessione peracta, obiit : « Essiccome piacque a Dio lo romito passò di questa vita; li santi angioli ne portarono l'anima nel santo paradiso. » In islandico autem textu, eremita « tumultuosus olim exstitit verbi divini contemptor qui eo im-

liber. Non ita in Regiis qui hanc seriem exhibent : Fiovo, etc... Gisberto, Michele, Agnolo (duæ personæ), Pipino, Carlo Magno, Aloisi, Carlo Martello, Lottieri : ita ut Pippinus non jam siniscalcus, sed filius Agnoli sit, et Carolus Magnus directe a Fiovo e a Constantino originem ducat. Pariensis codex cum Regiis de Pipini origine concordat : Fiovo... Zisberto, Angelo Michaele (una persona, ut in Fioravante), Pupino, Karlo Magno, Aloyxe, Karlo Martello, Karlo Malmartello (sic), Aloche et frater Alothe.

Non audet inter contrarias Fioravantis et Regiorum de Pippini origine affirmationes sententiam afferre Rajna (p. 53, 54), quum Fioravantem confirmet versus quidam ms. codicis Marciani XIII, Regios autem versus gallici poematis *Doon de Mayence* et locus quidam libelli « Chronique saintongeaise » dicti. At, quum versus codicis Marciani XIII corruptus esse possit, ut jam animadvertit Rajna, hæc inter parisiensem codicem, Regios Franciæ, chronicon santoniense, et prœmium poematis *Doon de Mayence* concordantia affirmare jubet apud nostros *trovatores* carolingam familiam cum merovinga mixtam et confusam fuisse. Quod ad Rajnensis Fioravantis affirmationem, hanc auctori non ita historiæ gallicæ ignaro nec novam progeniem priscæ locum occupavisse oblito attribuendam censemus.

pietatis venit ut sex viros sanctos et vita clarissimos interimeret. Demum feliciori Papæ Sylvestri ductu exspergefactus meliora sapuit.... Hic etiam Æthnicos sæpe incursantes strenue se vindicando, armis quæ optima possedit profligavit » (p. 123). Idem est ac Sansone iste quem noverunt Regii.

Sed, quod majus est, in holl. fragmento eremitam Lucari vocatum inter pugnandum perire videmus [1]. Qui quanquam non in Floventis, id est Fiovi, sed in Floovantis, id est Fioravantis historia, partes suas agit, cum nostro Sansone conferri potest, quia, ut infra videbimus, Fiovi et Fioravantis una ac eadem est fabula. Credendum est igitur eremitæ partes ampliores fuisse qui, olim bellator, a Sylvestro papa baptizatus, in trium juvenum sodalitium accipitur et eorum vitæ particeps fit, donec mortem inter pugnandum inveniat.

Unde hæc island. (et holland.) textus cum primo Regiorum libro oriri potuit concordantia, nisi per textum illum quem repræsentat hodie parisiensis codex, quique arcte in quibusdam partibus cum Regiis congruit, in aliis cum islandico simul et cum Regiis?

Fuit igitur vetustior textus qui eremitæ proprias partes attribueret, et de fine regis Francorum alia ac rajnensis Fioravante referret. Hujusce textus tanquam vestigia præbet codex iste quem anno 1467 exarabat, in suo castello, Domini de Pontevigo scriba.

Nunc ultra progredi licet, et de origine hujus vetustioris textus inquirere.

Affirmat Rajna librum de Fioravante italianam textus gallici prosa oratione scripti versionem esse qui in unum varia gallica poemata *Floventis* (Fiovo), *Floovantis* (Fioravante), *Florentis et Octaviani* (Drugiolina), etc. collegerat; quam opinionem graviter G. Paris, in rajnensis libri recensione impugnavit. Validissimis argumentis demonstravit non a gallico scriptore diversa poemata in unum collecta et in prosam orationem conversa fuisse [2]; poemata enim cycli carolingi non ante sæculum XIV, pleraque sæculo XV°, in prosam traducta. Rajna autem versionem gallicam, quam supponit, sæculo XIII scriptam non potest quin agnoscat. Dein duplici hac indole distinguitur

1. Vide supra p. 41.

2. Romania, II, p. 351-366; vide præsertim p. 353, 358, 362.

liber Fioravantis quam in omnibus italianis poematis invenias : varias scilicet bellatorum familias in cyclum vel unam familiam congregatas esse [1] et nomen commune « Moguntianorum » omnibus proditoribus attributum.

Postquam autem G. Paris Fioravantis collectanea non gallico scriptori referenda esse demonstravit, conjicit auctorem Italianum fuisse qui lingua franco-italiana suam narrationem scripserit.

Scilicet constat septentrionalem Italiam sæculo xiii° lingua gallica, in componendis libris, usam esse; xiv° autem plura poemata quadam mixta dialecto scripta esse quæ italianam (longobardicam vel venetianam) et gallicam una repræsentaret. Horum textuum et hujus linguæ jam plura nunc nota sunt exempla quæ Mussafia inprimis maxima cum cura et diligentia illustravit. Hodie demonstratum est linguam gallico-italianam per duo sæcula septentrionalis Italiæ scriptorum linguam fuisse, præsertim quum de poematis gallicis imitandis ageretur [2]. Quid vero vetat putare ex aliquo franco-italiano, hodie amisso, poemate originem ducere librum *Fioravantis?*

1. Quod clare apparet in Fiovi et Fioravantis historia. Fiovi historia ab uno gallico poemate de Flovente, Fioravantis a duobus de Floovante poematis originem ducit, et diversi textus isti ita inter se ab italianis scriptoribus conjunguntur ut Fiovus avus, nepos autem Fioravans evadat. Barbarus rex Ausæ Florus cujus filiam servat Floovans fit apud italianos scriptores rex Ardennæ, *avunculus* Floovantis. Floventis socii, qui in islandicis versionibus (et ideo in gallico poemate amisso) nihil majus sunt quam armigeri, statim per artem italianorum scriptorum e regio sanguine oriuntur ita ut, ubi quartus Ansoigi (Ansæis) additur socius, quatuor consobrini e quatuor fratribus nati una iter faciant. Eremita ipse quem adit Fioravans est avunculus, frater matris Fioravantis. Unde fit ut diversarum personarum nomina mutentur quo manifestor fiat cognatio. Fiovo (Flovent) habet filios Fiorello et Fiorio; ab uxore Ulia habet Lione, Lionello et Ulia; etc.

2. De gallicæ linguæ usu in Italia ad finem sæculi xiii vide *Histoire Littéraire*, xxiv, p. 544 et sqq. De lingua et litteris franco-italianis, vide Mussafiam qui omnes scriptores qui ante se de hac re disseruerunt, diligentissime citat : *Handschriftliche Studien* in *Sitzungsberichte der Philosophisch-Historischen Classe der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften* 1863, *marz-mai* t. 42), p. 276, et sqq. Post eum quædam scripsit G. Paris, *Histoire poétique de Charlemagne*, 163 et sqq. Vide et Mussafia : *Trattato de* « regimine rectoris » da Fra Paolino Minorita ; Pio Rajna, *Rinaldo da Montalbano*, Bologna, 1870 (estratto del *Propugnatore*); *Ricerche*, 127, etc.; E. Teza, *Rainardo e Lesengrino*, Pisa, 1869; Bartoli, *Primi due secoli della letteratura italiana*,

Sic rem se habuisse conjicit G. Paris. Quod recte conjectum demonstrat libri *Fioravantis* tenor et compositio.

Quinque fabulæ e quibus liber Fioravantis constat, Fiovi scilicet, Fioravantis, Drugiolinæ, Octaviani et Gisberti, totidem gallicis poematis respondent. Num vero a gallico scriptore hæc gallica poemata in unum collecta et in prosam orationem translata fuerint, hæc agitur quæstio. Sed si demonstraverimus primam libri partem ab italiano solum auctore redactam fuisse, totum opus italiano auctori attribuendum esse quivis confitebitur. Fabulam igitur Fioravantis, Fiovi nepotis, quæ cum gallico Floovante congruit, consideremus.

Statuimus supra [1] duabus e partibus hanc fabulam constare; auctor duo exemplaria gallica Floovantis in manibus habuit quorum unum Floovantem in carcere inclusum, alterum cum amica in castello obsessum ferebat. Ne alterutrius jactura fieret, in unam ambas narrationes redegit, et, ut ita dicam, consuit, scurrarum personis callide [2] usus. Qui scurræ ad posteriorem fabulæ partem priori parti conjungendam ita necessarii sunt, ut, his sublatis, auferatur et narratio. Sed scurrarum personæ, quales hic referuntur, non gallicam, sed italianam, *et italianam modo* artem arguunt, quum *nusquam* in gallicis poematis scurræ *legatorum* partibus fungentes inducantur, quod in italianis sæpissime; ita ut Floovantis gallicum poema in prosam orationem ab italiano versum fuisse necessarium sit. Fiovi vero, Fioravantis, Drugiolinæque fabulas in unum a gallico scriptore prosa oratione collectas, dein ab italiano quodam translatas qui, novo

Milano, (nell' *Italia* del Vallardi, 1873); Ascoli, *Saggi ladini* (305 et sqq., 449 et sqq.), qui nova et maximi momenti de hac quæstione, ut solet, scripsit; etc. etc.

1. Vide p. 56.

2. Non imperitus fuit ille Fioravantis auctor qui solertissime varias historias et diversos historiarum casus conjunxit et adaptavit. Ut unum modo exemplum afferam, in gallico Flovente, Constantinus ab Hispanis qui ibi primum in scenam inducuntur, obsidetur, et a nepote suo auxilium petere cogitur. Hanc obsidionem, cum reliqua narratione ægre cohærentem, callide italianus auctor tractavit, quum finxerit Salatrem regem cum Fiovo bella gerentem, ne hostis ab avunculo suo auxilium accipiat, filios ad obsidendum Constantinum mittere. Serius adveniunt quam ut Constantinum prohibeant quin copias Fiovum liberaturas mittat; sed imperatorem tamen ita aggrediuntur ut Fiovus, tandem victor, sua vice Constantino auxilietur (vide supra, p. 49).

et paululum diverso gallici Floovantis reperto codice, Fioravantis (Floovantis) historiam, commixtis duobus textibus, de integro narraverit, nemo sanæ mentis crediderit. Nec tamen aliter res explicare possit qui mecum Fioravantis historiam a reliquis disjungere noluerit. Qui duos Floovantis codices in unam italianam Fioravantis historiam coegit, ille etiam Floventis (Fiovi) et Florentis Octavianique (Drugiolinæ) gallica poemata una congregavit, et ex omnibus his gallicis poematis unum italianum librum confecit cui nomen *Fioravante* inscripsit.

Italianus vero liber ille sermone franco-italiano scriptus est. Etenim non solum per septentrionalem Italiam gallica poemata in Toscanam penetraverunt, sed et nostri libri parisiensis codex septentrionali dialecto referendus est. Parisiensis codex cujus excerpta in calce hujus libri edimus perpetuo vocabula et grammaticas formas exhibet quæ, exempli gratia, in Bovo venetiano, in textibus a Mussafia editis inveniuntur: *piare* (pigliare), *tayar* (tagliàre), *moyere* (mogliere, moglie), *zaxe* (jace), *insire* (uscire), *oldire* (odìre), *alcire* (uccidere), *plaxe* (fol. 116) (piace), *nuy vuy* (noi voi), *vite viteno* (vede vedeno), *-ave* (-ebbe), *sonto* (sono, sum), *fono* (furono) etc. Primo obtutu se septentrionalem clamat ipse textus [1].

Sed nullum adhuc notum est prosa oratione scriptum franco-italianum opus; inde credendum exstitisse poema franco-italianum cujus duæ (vel plures) scriptæ fuerunt prosa oratione versiones, una scilicet septentrionali dialecto cujus recentius exemplum est noster parisiensis codex, altera autem florentina quam refert rajnensis textus. Quod ad fabulam Fiovi, septentrionalis versio liberius textum franco-italianum tractavit, quam secutus est Regiorum Franciæ auctor. Nunc quum utraque versio a textu franco-italiano pendeat, facillime intelligitur cur variæ locutiones gallicum sermonem redoleant, de quibus

1. Novum mihi argumentum præbet prof. Rajna qui mihi liberaliter quædam excerpta e mss. italianis de fabula imperii romani a Gallia ad Germaniam translati communicavit (Vide supra, p. 72 et infra p. 92). Scilicet quæ in fine parisiensis codicis refertur fabula, ea poema *franco-italianum* de *Hugone Alvernensi* concludit, ita ut fabula ista quæ gallicam originem agnoscit per textus franco-italianos in Italiam penetraverit. Quum tertia et ultima pars codicis parisiensis a franco-italiano textu derivata sit, primam et secundam, auctori italiano attribuendas pariter, a *franco-italiano* textu derivatas plus quam verisimile est.

jam Rajna in suo libro, quamquam non recte, ut reor, interpretatus, disseruit [1].

Hanc disquisitionem breviter repetamus. Parisiensis codex vetustioris exemplar est textus quem in conficiendis Franciæ Regiis secutus est Andræas de Barbarino, et iste codex et rajnensis ab anteriori prosa oratione scripto opere derivati sunt; quod a franco-italiano (non gallico) scriptore ex variis gallicis poematis in unum redactum est. Hoc autem franco-italianum opus versibus scriptum fuisse, ut codices Marcianos, verisimile est [2].

1. P. 35.

2. Non tamen totam omnino expianatam de franco-italiani textus et rajnensis et parisiensis codicis ratione quæstionem affirmem; quæ quidem admodum perplexa adhuc remanet. E genealogiis quæ Fiovi historiam cum Fioravantis historia conjungunt constat primam et secundam partem codicis parisiensis ab uno et eodem anteriore textu (franco-italiano) derivari. Qui quidem tertiamne partem, fabulam nempe de imperio romano a Gallia ad Germaniam translato, continebat? Crediderim equidem (quanquam affirmare noluerim), quum tertia pars illa tam stricte et arcte cum prioribus cohæreat et narrationis vultus ita sibi ubique constet, ut vix diversi auctores se prodant. Sic vero duo poemata franco-italiana admitti debent quorum unum Fiovi gesta secundum gallicos textus quos transtulerunt islandici scriptores, Fioravantisque simul cum Drugiolinæ et Gisberti historia narraverit; alterum vero Fiovi gesta seu secundum alios gallicos textus hodie amissos exposuerit, seu invenerit, Fioravantis Drugiolinæ Gisbertique eodem modo quo prius poema retulerit, fabulam denique de imperio romano, sicut poema franco-italianum de *Hugone Alvernensi*, continuerit. Et quum non credere possim textum communem rajnensis et parisiensis codicis (historiam nempe Fioravantis Drugiolinæ Gisbertique) non ab uno et eodem textu vetustiori prosa oratione scripto ortum, ponendum est unum fuisse auctorem qui duas diversas Fiovi historias (secundum duo diversa poemata fr.-ital.), fabulamque de imperio romano (secundum unum poema fr.-ital.) in prosam orationem verterit, duas versiones scribens : quarum unam referat rajnensis textus, alteram parisiensis et Regii Franciæ. Hæc temerarie quidem conjicimus, non admodum verisimilia ipsi intelligentes. Sed nos, quum et tempus et italiana documenta desint, materiam deserimus tantis involutam tenebris quas unus mortalium Rajna discutere possit.

Cap. VI.

Quid inter Floventis (Fiovi) fabulam et Floovantis (Fioravantis) intersit?

Fusius de Flovente (Fiovo) et de Floovante (Fioravante) disseruimus. Quid inter duas personas intersit, lector jam non semel secum procul dubio quæsivit. Quam quæstionem jam exposuit Pio Rajna et tam luculenter ut ejus verbis non assentiri nemo possit [1].

1. Le avventure di Fiovo e di Fioravante sono tessute sopra lo stesso ordito. Trattasi e nelle une e nelle altre di un giovine principe, che per una lieve colpa commessa contro di un barone della corte paterna corre gran pericolo di vita e si riduce in un lontano esilio. Quivi la figliuola di un re pagano invaghisce di lui, ottiene l'amor suo, lo aiuta efficacemente et da ultimo dopo varie vicende diviene sua sposa. S'aggiunga che in ambedue le narrazioni v'ha in campo un'altra donzella emula della fortunata, e in entrambe il giovine cavaliero viene soccorso da genti del padre suo. Su questo fondo comune si vengono a rilevare incidenti diversi assai : ma ciò non toglie che la somiglianza sia davvero soverchia perchè si possà giudicare casuale. S'aggiunga ancora la conformità dei nomi; Fiovo doveva suonare nel testo francese Flovent; la saga islandese ce ne fa quasi certi; ora qual differenza v'ha mai tra Flovent et Floovant, nome che in un passo del poema d'Auberi le Bourguignon suona Floevent? E v'ha pure dell' altro : nella nostra storia di Fiovo raccontansi certi incidenti i quali trovano perfetto riscontro nel Floovant francese 1, mentre mancano poi del tutto nella parte del romanzo ove si narrano i casi di Fioravante. Mentre infatti Fiovo si trova nella Gallia, Gostantino suo zio è assediato dai Sarraceni. Accorre il prode battagliero, ed al suo soccorso si deve se Roma è liberata dai nemici. Il medesimo, mutati i nomi, accade nel Floovant; qui la città stretta d'assedio è Parigi, ma è sempre il giovane esule che ritorna con genti raccolte in lontani paesi e rende salvezza a chi lo aveva costretto a ricoverare in terra straniera. Le analogie sono certo manifeste e innegabili; non so tuttavia se altrettanto facili a spiegare. A ogni modo a me conviene proporre un' ipotesi, la quale non mi sembra se non altro inverisimile..... Io penso che della storia di Flovent o Floovant esistessero almeno due versioni oltre a quella a noi pervenuta. Il nostro autore dovrebbe averle composte insieme, senza lasciarsi sgomentare dal pensiero che in cotal guisa il suo protagonista diventava progenitore di sè medesimo. Così con poca spesa di fantasia riusciva

1. Ne obliviscatur lector Rajnam, quum hæc scriberet, island. versionem modo per brevissimam notitiam ab editoribus gallici Floovantis in præfatione allatam novisse.

Quam juste Rajna communem de *Flovente* et de *Floovante* fabulæ originem suspicatus fuerit, nunc, quum plura documenta de dijudicanda lite in promptu habeat, agnoscit lector.

Floventis (Fiovi) et Floovantis (Fioravantis) poema unum ac idem est; comparatio fere in omnibus partibus institui potest.

Quod ad nomina, præcipua persona hic *Floovant* vocatur, illic *Flovent* quod est a *Floovant* contractum [1]; rex a paganis obsessus hic et illic *Florus*; ejus filia hic *Floretta*, illic *Florentia* [2]; pagani autem regis filia hic *Maugalia venusta* (Maugalie *la belle*), illic *Marsibilla venusta*.

Quod ad fabulam, in Floventis (Fiovi) fabula, Constantini imperator nepos, occiso quodam duce, aufugit comitantibus duobus armigeris; in Floovantis (Fioravantis), Cloovisii regis Francorum filius, injuria magistro illata, exsulat comitante amico Richario. Flovens eremitam adit qui olim bellator, nunc Dei cultor, interdum tamen paganos debellat, quique juveni loricam gladiumque *Joyeuse* ministrat. Floovans (Fioravante) [3] quoque eremitam adit qui olim bellator, nunc Dei cultor, armorum usum non oblitus est [4]. Flovens dein cum quodam Sarra-

a moltiplicare le generazioni senza introdurre nella sua storia cosa alcuna che fosse veramente estranea alla famiglia... Naturalmente non posso presumere di arrivare più oltre colle induzioni e le ipotesi; ma non dispero che un giorno o l'altro l'antica letteratura francese o mi dia torto o ragione. (*Ricerche*, p. 61-63.)

1. Vide supra, p. 69.

2. Vide supra, p. 66.

3. Supra demonstratum est Fioravantis historiam e duabus fabulis constare quæ idem argumentum referant. In posteriori autem (cap. XLV), Fioravantem videre est eremitæ ad domum pervenientem qui ab Angelo monitus ei reddit arma a puero rapta. Ut in Fiovo et in islandico Flovent, ita in Fioravante angelus eremitæ nuntiat quis sit advena qui hospitium petat. Inde jure affirmari potest in textus gallici parte quæ hodie amissa est Floovantem Richarium Floretamque a Turcis liberatos ab eremita quodam (Lucari forsan; vide supra, p. 76) auxilium divinum accepisse.

Notandum est Eremitam in hac Fioravantis narratione juvenis avunculum esse, ut Eremitam qui in libro I Regiorum Franciæ (VIII) Fiovo Giovambaroni et Sanguino operam navat.

4. Quod ad gladium, ut patet ex hisce versibus (1330-32)

> Ancor me poise plus de m'espee que n'ai ;
> Au chatel Avenant la perdi, bien le sai.
> Tu me la donas belle, file le roi d'Ausai.

eum a Floretta accipit Floovans, ita ut regis Flori patrimonium merito credatur.

ceno certamen init cui pater auxiliatur, haud aliter quam Floovans qui Fernagu aggreditur; Sarraceno autem opitulatur pater, Saxonum rex Salatres. Flovens adit Parisios a Salatre obsessos, ut Floovans Ausam, cujus rex Florus (Fiorenze) a Sarracenis obsidetur. Flovens Corsablinum qui Marsibillam Salatris filiam adamat ita devincit, ut Marsibilla victoris amore incendatur [1]. Floovans Sarracenos tanta virtute profligat ut Maugaliæ, regis Sarracenorum Galieni filiæ, sibi amorem conciliet. Floventem Florentia, regis Flori filia, adamat, sicut Floovantem Floretta regis Ausæ filia. Flovens a divite hospite excipitur sicut et Fioravante (in textu italiano, non in gallico). Floventi rex Florus filiam uxorem offert, ut Floovanti rex Ausæ et Flovens virginem aspernatur iisdem fere verbis quibus Floovans (Fioravante) in italiano textu [2].

Hic in variis armorum casibus non congruitur [3]. Sed demum Saxonum rex a Flovente vincitur, ut Sarracenorum a Floovante. Filiam Salatris Marsibillam uxorem Flovens ducit, Galieni filiam Maugaliam Floovans; filiam regis Francorum

1. Vide supra, p. 68.

2. Lege hæc islandicæ versionis verba (infra, p. 158) : « Ego, pergit Rex, filiam meam tibi despondebo... » Flovent autem ad turbandum hunc discursum, alium instituit sermonem, hunc in modum Regem allocutus : « Direptores Franciæ et regni tui vastatores bilem mihi commovent; quapropter aliquid consilii est capiendum, ut injuriam nobis illatam, et damna quæ multos annos perpessus es, vindicemus, etc... « Hoc consilio approbato, Rex, etc. » Confer nunc hæc italiani Fioravantis (xxviii) : » Allora lo re prese per mano Fioravante e disse : « Io ti priego per amore chettù prenda la mia figliuola per moglie. » E Fioravante disse : « Messire, io voglio in prima menare a fin tutte vostre guerre, e poi farò quello che più vi piacerà. » Ello re disse : « Ben ai detto e ben mi piacie. »

3. Diversi aliquando casus similia in Flovente et in Floovante trahunt. In Flov. (cap. xiii) victori Floventi, sed Othunum amicum ab hostibus captum dolenti, osculum dare vult Rex Francorum : « Ne me tangas, Domine, respondet, juravi enim me neminem ante osculaturum quam captivitatem Othunis, sodalis mei, vindicavero. » Richarii, in Floov., admodum diversus est casus, qui tamen Sarracenis eum paganum esse credentibus et osculari cupientibus, respondet (v. 1256 et sqq.).

Seignour, franz Sarrazins, ne me baisiez vos mie;
Mahom et Tavergan an ai ma foi plevie
Que ne baiserai home, ne parant, ne cosine,
Ainz aurai mortz Francois de m'espee forbie.

Florentiam consobrino Ansæi Flovens [1], Florettam filiam regis Ansæ amico Richario Floovans dat. Deinde Flovens avunculo a paganis obsesso auxilium affert sicut Floovans patri Cloovisio; et post mortem avunculi imperator Romæ salutatur ut Floovans, mortuo patre, rex Francorum.

Utrique poemati unum igitur subest argumentum; unde fit ut inter et gallicum hollandicumque Floovantem et islandicum Floventem et italianos Fiovum et Fioravantem instituta collatio nos rectius et subtilius de prima Floventis et Floovantis forma judicare sinat, quam instaurare nunc tentabimus.

A. Flovens exsul cum sociis eremitam adit qui ei arma dat, et se socium addit, bellorum fit particeps et inter pugnandum occumbit; hoc statuunt et Sansonis persona in primo libro Regiorum et Lucari in hollandico Floovante. Quum uterque easdem agat partes, unus in Fiovi (Flovent) historia, alter in Floovantis, ex uno et eodem ducunt originem, nec solum Floovantis sed et Floventis narrationi attribuendi sunt.

B. Flovens, relata de Corsabrino victoria, sibi Marsibillæ amorem conciliat quam rapere non invitam tentat. Quod e fabula Florentis et Octaviani patet.

C. Filiam regis Francorum Florentiam cum Ansæi connubio conjungit Flovens; quod docent Fiovus filiam Fiorenzi regis uxorem Ansoigi necnon Floovans uxorem Richario Florettam offerens. In Fioravante nihil de connubio Ulianæ (= Florettæ) cum Richario, quia fabula ad finem ab Fioravantis auctore ob ambas in unum confusas narrationes transformata est; quam ob causam suppressa est auxilii a filio patri allati narratio, quæ ad finem gallici Floovantis ut islandici Floventis legitur.

D. Seu in ea quæ deficit Monspessulanensis codicis parte, seu in alio Floovantis textu, eremita quidam inducebatur in scenam; quem repræsentat eremita quem fingunt Fioravantis historia et holl. fragmentum. Cf. A.

E. Vidimus Floventem hospiti ditissimo cuidam a rege Francorum esse commendatum; Fioravantem quoque in divitis hospitis domo aliquantisper demorari. Unde autem hanc hospitis personam desumere potuit italianus auctor? Non hanc ex aliquo Floventis textu in Fioravantis historiam transtulit; nam e toto narrationum tenore patet exacte auctorem separatim et fideliter

1. Vide supra, p. 66.

Floventis historias secundum gallicum quemdam Floventis textum tractasse, Floovantis autem secundum duos gallicos Floovantis textus apte in unum redactos; nihil vero e Floventiana in Floovantianam aut e Floovantiana in Floventianam transfudisse historiam [1]. Inde credendum est et gallico Floovantis textui hospitis personam restituendam esse.

F. E nota 2 pag. 84 patet Floovantem regi Ausæ idem responsum quod Floventem regi Francorum dedisse; quum, ob argumentum in E allatum, non verisimile sit hoc responsum e Floventiana historia desumptum.

G. Holl. fragmentum de custode quodam Rigant loquitur qui, plebeius licet, nobilia facinora agit et res Francorum adversas virtute restaurat. In *italiana* Fiovi historia, rustico cuidam eædem fere attribuuntur partes [2]. Non me fugit rustici hujusce fabulam Italianam esse, quam jam liber *De Mirabilibus Romæ* referat. Sed mihi dubium est cur hanc fabellam in suum librum textus franco-italiani auctor introduxerit, ni in gallico textu quidquam simile invenisset : hujusce custodis loco melius rusticum romanum fama celebratum exponere habuit. Forsan temerarie hoc inductum videbitur, nec enim plus quam conjectum dixerim; sed quum in Fiovi historia rustici persona appareat, quæ cum hollandico Rigant admodum congruit, in gallico Flovente quemdam quoque fuisse Rigant, qui partes similes ageret facile suspiceris. Nec quidquam in hoc mirum offendas. Rigantis enim personam vulgarem in nostris gallicis poematis esse [3] ne obliviscaris; plurima poemata plebeios facinoribus suis se dominis et principibus æquiparantes gerunt et in poemate Lotharingorum (*Garin le Loherain*) plebeius quidam eodem nomine Rigant easdem fere partes agit.

1. Cf. Rajna, *Ricerche*, p. 62, 63 : « Che l'autore immaginasse egli medesimo le avventure di Fiovo imitando i casi di Fioravante, mi sembra cosa lontana da ogni probabilità. S' egli avesse voluto inventare, si sarebbe guardato dal raddopiare in questa guisa nella stessa scrittura una sola narrazione, e se anche la fantasia non gli avesse retto a concepire una nuova tela, la letteratura romanzesca era bastevolmente ricca per lasciargli largo arbitrio nella scelta. » Quod de summa et narrationis dicit Rajna, id de singulis fere ubique dicendum esse censeo.

2. De quo vide supra p. 49, et Rajna, *Ricerche*, p. 64 et sqq.

3. Sic *Roboastc* in *Aliscans*, *Varocher* in *Macaire*, sutor in *Bauduin de Sebourg* : etc.

Hæc omnia jam addita non affirmaverim, sed verisimile crediderim. Sed quoque modo se res habeat, certe mihi assentietur lector nec Floovantianam nec Floventianam historiam qualis et e Monspessulanensi codice et ex islandicis versionibus apparent, in prima forma nobis objacere; et per italianos textus et per hollandica fragmenta alias et quidem diversas formas si non omnino restaurari, at saltem introspici et delineari. Quod ad meum propositum sat erit.

Longæ hujusce disquisitionis summam repetere operæ pretium est. Hic apposita tabella quæ sit inter se variorum quos consideravimus textuum ratio declarabit. (Per italicas litteras quos supponimus, per capitales qui existunt textus notantur.)

PARS TERTIA.

De Floventianæ et Flooventianæ fabulæ origine et indole et de Merovingo cyclo.

Relictis nunc islandicis, hollandicis et italianis seu versionibus seu imitationibus, ad primitivos gallicos textus redeamus. Non solum exteris in regionibus, sed et in Francia celeberrimas fuisse de Flovente vel Floovente [1] fabulas plurima testimonia docent.

Jam supra [2] versus citavimus provencialis poetæ Bertranni de textu quem vertit islandicus translator :

> Ni no sabetz novas de *Floriven*
> Que pres premier de Fransa mandamen.

Ut Bertrannus joculatori suo ignorantiam, haud aliter *Giraldus a Cabreira* suo imperitiam crimini vertit, dum diversa poemata recenset bono joculatori cognoscenda, inter quæ et illud quod *Florisen* celebret :

> De *Florisen*
> Don sabs nien,
> Cabra juglar [3].

1. In secunda parte, quo facilius distinguerentur Floventis et Flooventis nomina, semper *Floovant* per *a*, non per *e* scripsimus. *Flovent* enim modo reperitur; *Floovent* autem et *Floovant* invenire est. Hac in parte *Floovent* modo formam, ut pote antiquiorem, afferimus.

2. P. 65.

3. Bartsch, *Denkmæler der provenzalischen Literatur*, 1856, p. 90. — De nominibus *Floriven* et *Florisen*, vide infra, p. 108, n. 4.

Fabella quædam (*fabliau*), usque adhuc inedita, quæ in ms. Bibl. Nat. asservatur, titulos diversorum poematum fusius citat, inter quos et nostri gallici poematis :

S'avez oï assez sovent
De *Richier* et de *Floevent*
Et de Rolant et d'Olivier [1].

Hi textus sæculo XIII referuntur. Eodem sæculo, auctor poematis de *Alberico Burgundiensi* (*Auberi le Bourgoin*) narrat quomodo latro Lambertus, se ducem Alberici consobrinum esse mentitus, eum in castellum suum adducat ibique vino et cantibus sopire tentet.

« Sire couzin, molt faites à prisier;
Or chanterai, por vos esbanoier.
Je sai de geste les chançons commencier
Que nus joug'eres ne m'en puet engignier.
Je sai assez dou bon roi Cloevier,
De Floevent et dou vassal Richier.
Dirai vus en volentez sans trichier. »
Dont commensa Lambers à flabloier
Et à chanter hautement sans dongier,
A chascun ver li fait le vin baillier [2].

Hinc apparet decantatam fuisse nostram de *Floovente* fabulam.

Ad finem sæculi XII, auctor quidam, normandicus ut videtur, poema composuit cujus fragmenta in Oxioniensis collegii *Corpus Christi* dicti bibliotheca invenit et edidit Dr Edm. Stengel. Hujus poematis auctor Flooventis fabulam imitari videtur ; præcipua persona, *Syracon* nomine, filius regis Hispaniæ, puer adhuc, mortuo patre, e regno ejectus, post varios casus rex Indiæ evadit. Sed patriæ et paterni regni non immemor, ad conso-

1. B. N. f. fr. 19,151 ; antea S. Germ. fr. 1239 ; fol. 63 verso, col. 1. — Vide Paul Meyer in *Correspondance littéraire*, 25 mai et 1er juin 1861 ; t. V, p. 316 et suiv.

2. Bibl. Nat., ms. fr. 860, fol. 207, recto 1. Cf. Guessard et Micheland, *Floovant*, p. viij, et *Hist. littér.*, XXII, p. 330.

brinum regem Franciæ *Clodové* et ad ejus filium *Floovent* legatum mittit ut ad depellendum usurpatorem et recuperandum patrium regnum ipsum adjuvent [1].

Quatuor isti textus nomen *Flovent* aut *Floovent* modo referunt, de argumento autem tacent; non ita sequentes : sæculo xiv°, *Philippus Mosketus*, qui fabulosam Franciæ historiam secundum epica poemata scripsit, de Cloovisio hæc refert [2]:

478 xxx ans maintint sa tiere bien ;
Asses conquist, n'i perdit rien ;
480 I. fil ot eü de Meulsent,
Si l'apelierent *Floevent* :
Si fu compains à *Saint Ricier*
De Pontiu [3], et si l'ot moult cier,
Et si fisent maintes fois gierre
480 As Sarrasins et à lor tiere.
Cis Flooevens fut moult vallans,
Sages, vistes et conquerans,
Et de largaice fu moult clers :
Si moru jovenes bacelers.

Ex hac narratione constat : 1° quod ad Flooventis socium, Richarium monachum evasisse et sanctis adnumeratum fuisse; quod cum textu hollandico satis congruit qui Richarium, stragis bellicæ pertæsum, in abbatia monachi vitam degisse declarat [4]. Sed errat Mosketus aut quem sequitur auctor, dum Richarium eumdem esse putat quem sanctum Richarium qui christianam fidem in Picardiam attulit, Pontivique pagi apostolus dictus est [5].

2° Quod ad Flooventem, e Melsente matre secundum Mosketum, natus est; secundum autem hollandicum textum, e Claudia. Refert Mosketus Flooventem juvenem mortuum esse : attamen, filiam reliquit de qua fusius scripserunt *trovatores*.

Sæculo xiii°, Albericus monachus abbatiæ Trium Fontium, in

1. Apud Boehmer, *Romanische Studien*, I, 399-406.
2. *Chroniques de Philippe Mousket*, éd. de Reiffenberg, I, 20.
3. Editio *Pontice*, perperam.
4. Vide supra, p. 43.
5. Cf. Paul Meyer, *Correspondance littéraire*, ibid.

suo *Chronico,* refert ad regnum Cloovisii secundi, anno 653 : « Quædam hystoria de rege Floovenz (ab isto descendunt duces Saxonum [1]), Clodovei filio. Hujus filia Helvidis, data Justamondo regi Saxonum, peperit Brunomundum et heredes Withecindi [2]. »

Has lineas explicat procemium poematis a Johanne Bodello de Saxonico bello scripti, ex quo patet antiquiora poemata exstitisse [3] in quibus matrimonium Helvidis [4], Flooventis filiæ, cum Justamonte Saxonum duce et bella inde orta narrabantur. Heredes enim Helvidis Franciæ regnum armis repetiisse; belli eventum diu incertum; tum regem Francorum mortuum esse; cui cum non superesset heres, Francos primo Godefreidum Parisiensem, dein Garinum Picardum *(Pouhier)* regem elegisse, cui successerit filius Ansæis e rustica quadam *(la fille au vachier)* natus; Ansæim singulare certamen in insula cum Saxone Brehier iniisse cujus ex eventu victoria Saxoniæ vel Franciæ penderet; Brehier victum; Saxones in fugam versos; sed mox, fœdere rupto, rursum ad arma cucurrisse : a Pippino, Ansæis filio, Francorum duce, Justamontem occisum; filium autem Justamontis Witichindum patris manes adversus Carolum Magnum Pippini filium ultum esse [5]. Inde ortum longum illud Saxonicum

1. Hæc modo in codice parisiensi.

2. *Chronica Alberici Monachi Trium Fontium*, apud Pertz, SS. XXIII, 698.

3. *Veritez est provee, sel truis an la leçon.*

Cf. verba Alberici : « *Quædam historia* de Floovenz, etc. »

4. Sic Albericus, et codex Bibl. Arsen. B. L. 175 (Heluiz = Helwiz); secundum alios Bodelli codices *Helois*, Aaliz, etc.

5. Hæc narratio cum italiana fabula de imperio a Francia ad Germaniam translato, quam ad calcem hujus libelli legere est, aliquantulum concordat. In utraque enim Franci et Germani de imperio dimicant; imperator Francorum Germanum ducem ad singulare certamen vocat in quo victor suæ genti victoriam allaturus est. Sed secundum J. Bodellum Francus, secundum italianum textum Germanus victor est. Nulla tamen cognatione conjunctas hasce fabulas crediderim.

Italiana fabula in tribus aliis textibus asservatur, in quibus historiam *Ugonis Alvernensis* concludit.

1° Poema franco-italianum : *Ugo d'Alvernia* (Bibl. Universit. Torinensis, N, III, 19);

2° Versio prosa oratione ab Andrea de Barberino (Regiorum Franciæ auctore) scripta (Bibl. Magliabechiana, Palch., II, cod. 58; fol. 81 recto);

3° Poema de Carlo-Martello, in octavis rhythmis, editum (Impresso in Ve-

bellum, cujus varios casus fabulose narrat Johannes Bodellus [1].

netia per maestro Marchio Sessa nel anno del nostro Signore M. CCCCVI a dì VIII del mese de giugno).

Quatuor textus isti alius ab alio divergunt; francicam originem, ut videtur, agnoscunt; etenim quanquam nullum jam existit de Ugone Alvernensi francicum poema, tamen ei alludit poeta provincialis Guiraut de Cabreira qui in suo *Ensenhamen* (vide supra, p. 89) joculatori Cabræ crimini dat quod nihil noverit *del buon Alvernhatz Uguon*. Cf. Rajna, *Le fonti dell' Orlando furioso*, 462.

Hæc documenta mihi, qua liberalitate et benevolentia est, communicavit prof. Rajna.

I. Qui de l'estoire as Saisnes veut conter la raison
Des anciiens darriere doit mouvoir sa chançon.
Veritez fu prouvee, sel truis an la leçon
Qu'il ot .I. roi en France qui tint la region;
Cil ot non Cloevis que, de fi le set on,
Peres fut Floovent qui fist la mesprison
De sa fille la bele, qui Heluis ot non.
Tant fu sage et courtoise et de bele façon
Que nouveles en vinrent au Saisne Justamon,
Qui justisoit Sassoigne et la terre environ,
Sarrazins ert li Saisnes, et creait en Mahon;
De la franche pucele fist requerre le don,
Et li rois li dona par fole entencion :
Miex li venist avoir tuee d'un baston·
Qu il ot dou mariage mainte maleiçon.
Car li oir k'en issirent furent fier et felon,
N'onques en l'or joventes ne firent se mal non.
Quant il orent aage, sens et discretion,
De Franche chalengierent la terre et le roion,
Por ce que par lor mere i sorent ochoison;
Mais François orgueillous, cui ne fu mie bon,
Mainte bataille en firent et mainte ocision.
Ainsi murent ensamble orgueil et contençon
Qui puis ne fu finee entrant mainte saison.
Li uns rois apres l'autre la retint en son non.
Quant li fill Justamon, li felon losengier,
Orent mute la guerre por France chalengier,
Tout lor tans la menerent, mais ne lor ot mestier.
François se deffendirent com noble guerroiier,
Ainc ne porent ensamble acorder ne paier ;
Li uns rois apres l'autre pensa del efforcier
Tant k'en France morut un rois sans iretier;
Gaste fu la coronne, nel sorent cui baillier.
De Joffroi de Paris firent lor justicier;
Apres celui eslurent dant Garin le Pouhier;

Supra [1] vidimus, in Fioravantis fabula, exsulantem Fiorelli filium a matre gladio *Joyeuse* donari [2]. In Flooventis fabula, eumdem gladium a Floretta Flori filia accipit Cloovisii filius secun-

Ne sorent miex adonques la coronne emploiier :
Car preudons fu et sages et duis de guerroiier,
Mais ainc n'ot fill ne fille de sa gente moillier,
Cil conçut Anseis en la fille au vachier
Qui puis desraisna France cors a cors a Brehier.
Au parlement sor Muese ou il ot maint princier
François et Saisne i furent ajorné por plaidier
Pour l'anuieuse guerre finer et acourcier ;
Et firent sor .II. homes la bataille jugier
En apres d'ambes pars jurer et fiancier
Que jamais ne feront guerre recommencier,
Mais cil eust l'onnour cui diex vousist aidier.
Cel jour firent François d'Anseis chevalier,
Qui encore servoit en robe d'escuier ;
Bel li firent les armes et bel s'en sot aidier,
Brehier refirent Saisne moult bien apareillier.
Puis les firent andeus en une isle nagier
Ses laissierent ensamble as armes acointier.
Anseis le conquist a l'espée d'acier.
Lors s'en tornerent Saisne ; ni ot que corroucier
Mais tous lor seremens fausserent de legier.
François s'en repairierent baut et joiant et fier,
Anseis coronnerent a Saint Denis moustier.
Loiaus hom fu et sages ; s'ama dieu et tint chier ;
Ainc de faus jugement ne volt avoir denier.
Cil fu peres Pepin le fort roi justicier
Qui puis refist a Saisnes maint mortel encombrier
Et ocist Justamon vraiement sans cuidier,
Dont Guitechins à Charle se cuida puis vengier.
Li fill apres les peres reprisent le mestier
Huimais porres oyr la chançon commencier
S'il est qui le vous sache conter et desraisnier.
  Seignor, par tel maniere ja n'en soit nus doutans,
Commença la hayne entre Saisnes et Frans,
Guitechins de Sassoigne, quant ce vint a son tans, etc., etc.

Guitechins de Sassoigne (Ms. de l'Arsenal, *Belles-Lettres,* 175, fol. 229 b, col. *a* et *b*) ; cf. Fr. Michel, *la Chanson des Saxons*, par Jean Bodel, Paris, 1839, t. I, p. 4 et 5.

1. P. 50 ; cf. p. 83.
2. Et equo, (XIX). In parisiensi codice, non solum ensis nomen habebat *Zolioxa,* sed et equus « se chiamava *Zolioxo* » (!).

dum islandicam Floventis et italianam Flooventis versionem [1], hunc gladium divinitus fabricatum eremitæ ab Angelo allatum fuisse ut juveni exsulanti, futuro mox primo Francorum regi, offerretur. Si igitur hisce traditis credimus, primus Francorum rex hunc ensem tenuit, quod confirmant isti e *Mainetto* decerpti versus. Rex Galafres adolescenti *Mainetto* (sive *Carolo-Magno*) ensem præbet ut cum barbaro Braimant dimicet. Respondet Mainettus :

> « Ne prendrai vostre espee, ne me vient pas à gré,
> Car j'en ai une vielle de l'ancien aé :
> Isaac li bons fevres qui sor tos ot bonté
> La forga et tempra ens el val Josué ;
> *Et fu le premier roi qui tint crestienté,*
> *Cloovi le courtois, le chevalier membré*
> *Qui fu levez en fons et crei dame Dé :*
> *Elle a a nom Joiouse,* molt est de grant biauté [2].

Hunc autem ensem a patre Pippino tenebat Mainettus, ut refert in suis de *Vita Caroli Magni* Collectaneis Girardus Ambianensis [3]. Gladius igitur Joyeuse a Cloovisio usque ad Pippinum et Carolum Magnum, secundum fabulam, omnium Franciæ regum patrimonium fuit [4].

Patet igitur circa Flooventem Flooventisque patrem aut progeniem diversa tradita esse et a poetis decantata. Nunc ultra progredi licet et traditorum indolem et originem scrutari.

Sed amplior fit quæstio, quæ solvi nequeat ni totam subjectam materiam amplectaris ; nam alia sunt poemata quæ, quanquam cum Floovente nihil commune habent, de Merovingis regibus

1. Et forsan secundum gallicum *Flooventem* ; in parte enim poematis quæ amissa est de gladii origine quædam tradita esse verisimile est.

2. *Romania*, IV, 326, 327.

3. G. Paris, *Hist. poét. de Charlemagne,* 95 et 471 et sqq.

4. Animadvertendum *Mainetti* auctorem necnon *Floventis* (et, secundum italianas versiones, *Floovantis*) paululum a fabula deflectere quam referunt prisca poemata carolinga. Secundum enim *Rollandi* poema (v. 2501-2508) et primitivam Karlamagnus Sagæ narrationem de Itinere Karoli Magni Hierosolymam facto, ensis divina vi et nomine *Joyeuse* tum modo donatus fuit, quum sacrum lanceæ ferrum, quo transfossum fuerat corpus J. Christi, ensis capulo inseri jusserit Carolus Magnus.

tradita referant. Omnes igitur quos cognoscimus textus recenseamus.

I. *De Floovente fabula.* — Primi regis Christiani Cloovisii filius, ob præceptori illatam injuriam, exsul regnum Ausæ (Alsæ), id est Alsatiæ sive Austrasiæ petit, regemque Florum a Sarracenis liberat; Malgaliam Galieni, regis Sarracenorum, filiam uxorem ducit; dein patri a Sarracenis lacessito auxiliatum accurrit, et, mortuo patre, regnum Franciæ occupat.

II. *De Flooventis filia fabula.* — Modo vidimus, secundum Albericum monachum Trium-Fontium et Johannem Bodellum, Flooventem Cloovisii filium in hoc errasse quod filiam Saxonum duci uxorem dedisset, unde bellorum casus orti Francos inter et Saxones, quibus per longam annorum seriem continuatis finem attulit inclytum illud Caroli Magni et Witichindi duellum.

III. *De Mirmante fabula* (Mirmans Saga). — Comitis Mirmantis historia a gallico *trovatore* scripta, nunc modo in islandica versione servatur quam continent quinque codices bibliothecæ Hafniensis (B. Arnæ Magnæi) et Holmiensis. Hanc edidit E. Kœlbing [1] : cujus argumentum hic refero quod amico Gustavo Storm debeo.

« Temporibus papæ Clementis et imperatoris Romani Neronis regnabat in Francia paganus Hlodoveus, et in Saxonia comes Hermann. Hic uxorem Brigidam, filiam regis Ungariæ Jodingi, duxerat, muliebris scientiæ peritam, sed ferocem et animi impotentem (cap. I). Post sex annos, prægnante Brigida, quum comes vermem morsu digitum petere somniasset, funestum fore suum filium auguratus est. Qui in lucem editus, nomen *Mirmans* recepit. Crevit et latinis litteris eruditus est, et quum XIII annos natus esset, ad Hlodovei regiam missus est. Jam tum Mirmans falsos deos rejiciebat, et se, ubi regno potiretur, paganorum altaria destructurum nuntiabat (III, IV). A Hlodoveo et a regina quæ nullum filium habebat comiter excipitur et optimos magistros ei dat Hlodoveus. Rex autem Judæorum fidem servabat, Deum colebat, nec diis ut Saxones et Hispani victimas offerebat. Mortua regina, Hlodoveus, suadente Mirmante, Katharinam, regis Anglorum Ethelredi filiam, uxorem ducit. Hæc autem frustra Mirmantem pellicere tentat (V-VI).

1. Riddarasœgur, Strassburg, 1872, in-8°, p. 137-213 ; vide præfationem, p. XXXIX-XLVIII.

Tunc temporis, sanctus Dionysius a papa Clemente missus in Franciam venit et ad christianam fidem regem Hlodoveum et ejus populum et Mirmantem adducit; confugiunt pagani ad comitem Saxoniæ Hermannum, vel Hispaniæ regem Bæringum, et iratus Hermann Hlodoveum rogat ut ad se Mirmantem remittat (VII). Redux Mirmans probris et conviciis excipitur; iratusque filius patrem sibi mortem minatum gladio transfodit (VIII-X). Comes Bæring in Franciam cum exercitu penetrat, sed ei obviam eunt Hlodoveus et Mirmans et in singulari certamine comitem devincit Mirmans, fugatque paganos (XI). Quum Mirmantem ad se revocasset mater Brigida, filio medicamentum dat quo paulo post corpus totum lepra inficitur. Quam nulli quum possent sanare medici, solus in deserta domo cum duobus servis Godefredo et Rogerio vivit, ita ut mortuum esse Mirmantem vulgaretur fama. Sed incognitus urbem Valerinam, in Sicilia, petit; ibi florebat regis Willelmi filia Cecilia, medicinæ peritissima et omnis muliebris disciplinæ (XII-XIV). Quæ vermem in ejus corde versatum agnovit, et per medicamentum arte paratum, adjuvante divina invocatione, expulit. Sanatum Mirmantem et redire in Franciam statuentem implorat Cecilia ut secum patrii regni particeps fiat. Quum Lucidarius Danubianæ regionis rex ad urbem Utrent in Apulia immensa cum classe, Siciliam armis petiturus, appulisset, ejus exercitum fugat Mirmans, et victor Ceciliam, cui tum demum nomen et originem aperit, uxorem ducit (XV-XXI). Cecilia concedente, redit in Franciam; sed tunc moritur Hlodoveus, puerum linquens adhuc ætate tenerum; at Katharina quæ Mirmantem deperit, perfidis utitur artibus ita ut Cecilia Mirmantem, Mirmans Ceciliam infidelem putet (XXII-XXIII). Tunc Cecilia, viriles vestes induens, sub nomine comitis Hiring Venetiani, cum equitibus ad Saxoniam tendit, regemque ut bellum Mirmanti ingerat adducit. Mirmans divinitus ab Hiring et Cecilia superatus, Katharina in carcerem, supplicio afficienda, projecta, uxorem agnoscit, et cum ea, venia accepta, in Siciliam redit qua, mortuo Willelmo, per XX annos gloriose potitur. Ultimos vitæ dies in claustro peragunt : num habuerint natos, nescimus; et quum nihil plus audiverimus, finem Mirmantis Sagæ hic imponimus (XXIV-XXVI).

Hanc sagam credit Kœlbing [1], quia nominum propriorum ter-

1. P. XLVII.

minatio latina est, e textu latino translatam esse; sed G. Storm cujus judicium in quæstionibus de islandicis litteris semper maximi momenti est, ad me falsam esse Kœlbing opinionem scribit; semper enim nomina formæ latinæ a scribis submissa esse (cf. Karlamag*nus* saga); textumque islandicum a gallico fonte derivatum esse. Codices vergente sæculo XIV vel ineunte XV exaratos; sed versionis linguam medium sæculum XIII prodere et Norvegiam patriam. Verisimile est gallicum poema regi Hakon Hakonsson in noricum sermonem translatum esse.

IV. *De Florente fabula* (Flovents Saga). — Constantini, romani imperatoris nepos, Flovens ob scelus admissum exsulans, paganum Parisiorum regem Florum ab obsidentibus Saxonibus vindicat; filiam Salatris regis Saxonum Marsibillam uxorem ducit, et, mortuo Floro, Franciæ rex, primus qui christianam fidem coluerit, coronatur.

V. *De Sigurdo muto fabula* (Sigurdhar Saga thogla) [1].— Temporibus Artusi regis, Lodwikus Saxoniam tenebat; cui tres filii erant Halfdann, Wilhelmus et Sigurdus, et una filia Gloriants. Quum puer nullam edidisset vocem Sigurdus, *mutus* cognominatus est. — Tum Franciam regebat Florus cujus pater Felix ex Africa oriundus erat; mater ex antiquo Francorum rege originem ducebat; uxor, christianæ fidei addicta, post varios casus a Babilonia in Franciam pervenerat; filia tandem Sedentiana in civitate Terberus regina coronata erat. — Quomodo Sigurdus varia pericula adeat, gigantes, dracones devincat, facinoribus et arte magica sibi Sedentianæ amorem conciliet et tandem filiam regis Franciæ uxorem ducat, fusius exponit hæc Saga. In qua nihil ad nostrum propositum interest nisi quod rex Franciæ Florus est, et quod Sedentiana, quum filium peperit, hæc verba dicit : « Præsentio filium nostrum christianum fore, ut fuerant pater meus materque mea, quanquam in nostra regione abolita fuerit christiana fides. » Et addit Sagæ scriptor : « Et res veram esse prophetiam illam

1. Hujus Sagæ, adhuc ineditæ, argumentum amico Sopho Bugge Christianiensi debeo. Quæ in tribus codicibus bibliothecæ B. Arnæ Magnæi servatur, cod. scilicet 152 (membr., fol.), cod. 596 (membr., quart.; mutilus), ambo inter 1350 et 1450 exarati; cod. 542 (chartac.), serius scriptus. Codd. 596 et 542 Sigurdi sagam modo continent; cod. 152 plurimas inter quas Floventis Sagam. Floventis sagam sequitur et, ut ita dicam, continuat Sigurdi saga.

edocuit, imperatoris Constantini temporibus, quum Flovens Franciam ad religionem christianam denuo adduxerit [1]. »

Sunt præterea tria sæculo xiv° scripta poemata, *Charles-le-Chauve*, *Florent et Octavian* et *Ciperis de Vignevaus*, quæ fusius descripsit Paulinus Paris (*Hist. litter.*, xxvi), et quæ de merovingis regibus varia seu tradita, seu inventa referunt.

VI. *De Carolo Calvo fabula.*— De Melsiano, Ungariæ rege, agitur qui, baptizatus, nomen Carolum Calvum accipit, quique a duodecim paribus, mortuo Clothario, Franciæ rex salutatur; sed Britanniæ dux, Willelmus de Monteforti imperium affectat; inde bella, quorum per varios casus fessum lectorem indefessus auctor trahit. Filium habet Philippum cujus filius Deodatus (*Dieu donné)* neposque Dagobertus est.

VII. *De Florente et Octaviano fabula.*— Dum romanus imperator Octavianus socio Dagoberto Franciæ regi, quem obsidebant Wandi, auxilium afferebat, ejus uxor duos filios Florentem et Octavianum in lucem edebat. Matris perfidia percitus, uxorem quam adulteram putat cum natis expellit redux Octavianus. Per viginti millia versuum natorum historiam trahit auctor, quorum unus (Florens) a parisiensi cive educatus, sibi regis Dagoberti gratiam facinoribus conciliat, et Marsibillam, Sarraceni regis filiam, uxorem ducit; alter (Octavianus) divinitus a leone adjutus in Oriente varia facinora edit, et tandem, Maugaliam, Marsibillæ sororem, in matrimonium ducit. De hoc poemate quædam supra jam retulimus, quippe quod *Floventis* et *Flooventis* poemata cum aliis quoque in unum congreget et misceat.

VIII. *De Hilperico de Vignivallis fabula.*— Philippo, Clotharii regis filio, erat filius nothus qui quum in silva « Vignevaux » dicta, in Normandia, natus esset, *Ciperis de Vignevaux* nominatus est. Ciperis ab avunculo Dagoberto educatus, e consobrina Orabla septemdecim filios habet. Filiorum historiam fusius narrat auctor, per quos casus varias Europæ regiones armis, reginas amore subegerint. Quædam etiam de Ludovici Dagoberti *fratris*

1. Hanc prophetiam refert Kœlbing, secundum codicem 152, fere in hunc modum : « Præsentio filium nostrum christianum fore, ut fuerant pater meus materque mea, quanquam hoc *(christiana videlicet fides)* in nostra regione abolitum fuerit. Et dicunt hanc prophetiam veram repertam fuisse temporibus imperatoris *Konradi* qui Franciam christianam reddidit, eamque a paganis servavit » (*Riddara Sægur,* p. xlvii). Patet *Konradi* falsam esse lectionem.

(Clovis II) et uxoris Baudour (Bathildis) amoribus referuntur.

Octo istæ fabulæ in tres ordines distribuere licet, primum qui Flooventis, Flooventisque filiæ fabulas contineat; secundum, Floventis Sigurdique sagas; tertium Mirmantis, Caroli Calvi, Florentis Octavianique, et Ciperici Vignivallensis poemata.

Crediderat Dr Kœlbing [1] tria poemata de Mirmante, de Sigurdo et de Flovente, quorum gallicam originem non suspicabatur quemdam *franco-germanicum* cyclum constituere : scilicet Francos Galliæ victores novamque fidem amplexos cantibus sua facinora celebrasse quorum textus islandici quamdam imaginem adhuc referrent : in sententiam norici professoris Gisli Brynjúlfsson pedibus ibat qui, noricæ patriæ amore inductus, indigenam islandicam hanc litteraturam nec a gallico fonte deductam credebat. Hodie hanc sententiam candide rejecit Kœlbing, et, jure quidem, affirmat [2] in Mirmantis Sigurdique et Floventis Sagis amissa gallica poemata nobis asservari : sed primam opinionem non immutasse videtur qua tres istos textus cyclum quemdam formare statuebat, qui fabulosam christianæ fidei in Galliam introductæ historiam memoraret.

Patet autem inter Mirmantis Sagam hinc et Sigurdi Floventisque illinc nihil esse commune; nempe in Mirmantis saga Hlodoveus rex primum paganus, dein christianus inducitur, Sigurdi autem et Floventis fabulæ nihil de Hlodoveo noverunt; rex Franciæ est Florus cui mox succedit romanus Flovent. At contra Mirmans Saga varias variis temporibus attribuendas fabulas refert quum quædam Merovingam historiam, alia carolingam, alia autem Capetianam referant; mihique illa saga eamdem indolem ac Caroli Calvi, Ciperici Florentisque et Octaviani poemata induere videtur.

Hæc enim poemata non eam anteriorum poematum imaginem referunt quæ, deformata licet, agnosci adhuc tamen possit; sed anteriorum poematum argumenta cum aliis fabulis, seu traditis, seu aliunde desumptis, seu inventis, miscent et confundunt; nec, ut verba usitata nuncupem, jam sunt « chansons de geste »,

1. *Riddarasægur,* p. XLII et sqq.

2. *Beitræge zur vergleichenden Geschichte der Romantischen poesie und prosa des Mittelalters, unter besonderer Berücesichtigung der Englichen und Nordischen Litteratur,* von Dr. Eugen Kœlbing, Breslau 1876, in-8°; p. 136.

sed « romans d'aventures ». Tritum et vulgarem poematum a fine sæculi XIII ad sæculum XV scriptorum typum exprimunt. Sed in illo locorum communium mari cujus imaginem repræsentat nostra hujus temporis epica poesis, hic et illic quædam *(rari nantes)* se antiquiora et vere genuina produnt. Quod in scenam inducuntur Cloovisius I, Dagobertus, Chilpericus, Cloovisius II, Bathilda; quæ de sylva « Vignevaux » traduntur, *poemata* indicant *anteriora* in quibus antiquiores servabantur de Merovingis regibus fabulæ [1]. Quæ poemata si quis penitus scrutari tentaret, certe quid inventioni, quid imitationi, quid vero *poeticæ traditioni*, attribuendum sit discerneret; quod opus, permagnum quidem, hic aggredi non licet. At saltem ex istis poematis apparet anteriora fuisse merovinga poemata quæ varia de regibus traderent et celebrarent; quod nostro proposito sat est.

Quod ad Sigurdi fabulam pertinet, patet eam Floventis fabulæ posteriorem esse. Cujus argumentum si tantum consideraveris, eam, ut quæ modo vidimus poemata, non poematis *gestas* celebrantibus (*chansons de geste*), sed romanensibus fabulis (*romans d'aventure*) adscribes. Cujus et fabulas de Tabula Rotunda et epica poemata mixtim imitatus est auctor [2], quum argumentum

1. « A quelle date peut-on rapporter la composition *(de Ciperis de Vignevaux)?* Il faut ici distinguer : il semble bien que l'auteur de la rédaction avait fait peu de frais d'imagination ; mais il doit s'être réglé sur une cantilène plus ancienne qu'il aura gonflée des lieux communs de son temps. Ce n'est pas au milieu du quatorzième siècle qu'on aurait pu inventer un Ciperis roi de France et qu'on aurait mis en scène un Dagobert et ses successeurs, Clovis et Thierri. Ce que le rimeur dit de la reine Bathilde, femme de Clovis II, n'est pas tiré des chroniques de Saint-Denys ni de la légende de cette pieuse femme. Le nom de la forêt de Vignevaux paraît être oubliée aujourd'hui, mais il est à présumer qu'il n'est pas de pure invention, puisque les autres récits se rapportent à des localités françaises bien connues... Quant au texte renouvelé que nous avons sous les yeux, il ne semble pas accuser une date antérieure aux guerres d'Edouard d'Angleterre et de Philippe de Valois..... Ainsi, pour nous résumer, la cantilène de Ciperis, fort ancienne dans sa première forme, fut, comme la plupart des chansons qu'il nous reste à examiner, renouvelée dans le seul texte qu'on en conserve, par un rimeur artésien ou flamand, sous le règne de Philippe de Valois ou même sous celui de Jean, son successeur... » (P. Paris, *Hist. litt.*, XXVI, 39.)

Quæ de *Ciperico* dixit Paulinus Paris, jure de Mirmante, Florente et Octaviano et de Carolo Calvo dicas.

2. De gallico poemate loquor quod repræsentat islandica versio; non de

Floventis argumento, quanta calliditate dubium, assueret. De Sigurdi fabula nihil igitur colligendum est, quippe quæ nihil aliud quam inventum poema cum Floventis argumento conjunctum supponat.

Sed non ita de Floventis saga, et de Flooventis Flooventisque filiæ poematis, quæ primitivas fabulas genuine referunt.

De Flooventis filia poemata quorum memoriam servavit Johannis Bodelli proœmium, bellis quæ Francos inter et Germanos sub regibus Merovingis et primis Carolingis sæviebant, alludunt. Quam vidimus fabulosam regum successionem a Floovente, Cloovisii filio, usque ad Carolum Magnum, ea non poetæ inventioni attribuenda est, sed populares fabulas redolet et prodit; hocce enim modo narrari apud populum regnorum mutationes magnique casus solent.

Quod ad Flooventis fabulas Floventisque, in eis agnoscenda est regis Merovingi poetica historia. Et primum de Floovente.

Floovens, Cloovisii filius, barbam præceptori tondet; exsul ad aulam regis *Ausæ* seu *Alsæ*, id est Alsatiæ vel Austrasiæ fugit; Austrasiam a barbaris Sarracenis liberat : Sarracenam tamen uxorem ducit reditque in Franciam, patri heres successurus.

In Sarracenis facile Germanos, Saxones agnoscas. Etenim Sarraceni medio ævo apud nostros *trovatores* commune omnium barbarorum nomen fuit. Sarraceni autem isti in Orientali Franciæ parte bella gerunt; in Rhenum præcipitantur [1], civitatem *Beaufort* (Belfort) aggredi tentant [2], regem Alsatiæ lacessunt. Galienus Cloovisii filiis proditoribus præmium Saxoniam offert [3]. Unus regum barbarorum in hollandico fragmento est Justamont [4]; secundum autem Joh. Bodellum, Jostamont ipse Saxonum dux bella cum Floovente gerit. Tandem, quod litem dirimit, in Floventis fabula, de Saxonibus agitur [5]. Patet ergo nostri poematis scriptorem quidquam in traditis mutasse, et

ipsa versione quam imitationem modo esse libens suspicer, quum in ea quædam inveniantur quæ islandicam originem redoleant : quasdam personas huic sagæ et sagæ islandicæ de Agnar communes esse ad me scribit Sophus Bugge.

1. Vide supra, p. 37.
2. Ibid.
3. Doné lor ai Sassoigne et l'enor qui atien (v. 2436).
4. Vide supra, p. 41.
5. Vide infra, p. 133, et sqq.

in Saxonum locum quos præferebant populi tradita quosque poscebat narrationis tenor, Sarracenos, ut epico usui morem gereret, induxisse.

At ipsa illa historia quam de Floovente nostrum poema refert, eadem Merovingo regi attribuitur, Dagoberto nempe.

Sunt collectanea diversarum historiarum, de Dagoberto rege quibus nomen *Gesta Dagoberti* inscriptum est. Quæ collectanea, sæculo nono scripta, nunc vera, nunc falsa referunt secundum Fredegarii scholastici chronicon, secundum *Gesta Francorum* et præsertim secundum tradita quæ in plebe et inter monachos vulgabantur. Eamdem autem de Dagoberto adolescente fabulam narrant præceptori barbam tondente [1].

« VI. Pater Clotharius quendam, ut putabat, spectatæ fidei Sadregisilum rebus sub se tractandis præfecerat, Aquitaniæ Ducatu specialiter ei commisso. Hic tanto dignitatis fastu elatus, Regis filium Dagobertum partim collatæ potestatis superbia, partim spe regni laborans, non æquo animo prosperius agere ferebat. Nec quid moliretur, simulato saltem amore, obtegere diu valuit. Sed quia metu patris manifesto non poterat, occultum se ei inimicum crebro contemptu aperuit...

« Tum Dagobertus exoptabilem (*ulciscendi*) sibi nactus occasionem Ducem ad se evocat, jubetque secum prandere. Ille nihil minus quam quod futurum erat cogitans, remissius habere et futuro, imo jam domino debitum honorem non exhibere : terque ab eo porrecta sibi pocula, dignus in quem prioris contumaciæ vindicta recideret, non sicut a domino, sed velut a socio infauste oblata præsumit. Deinde Dagobertus, ut patri infidelis, ut sibi æmulus, utque sociis invisus foret, orsus est exponere, non oportere serviles quidem molestias diu differri, et ne in immensum tumorem tanti fastus procederent, suas injurias non ulcisci. Flagellis ergo eum adfici imperat. Post vero barbæ rasione (ea enim tam præcipua erat injuria) deturpat. Sic ex improviso qui secundarum rerum successu futurum se Regem auspicabatur, quam longe ab illa dignitate abesset admonitus intellexit.

« VII. Revertenti igitur Clothario hiis contumeliis dehonestatus Sadregisilus se offert, et quid præterea, quæ palam erat passus, vel a quo fuerat, inlacrymans indicat. Rex itaque Du-

1. Dom Bouquet, II, 581 et sqq.

cis sui motus injuriis filioque multa furibunde interminans, accersiri eum ad se jubet. Quo præcognito, Dagobertus, quia resistere nec fas, nec possibile erat, in eo se illi obniti posse juste credidit, si in ædem præfatam beatorum Martyrum iram patris inclinans concederet. Iniit itaque tutissimam fugam, et quo se insequente cervum viderat, ipse quoque patre persequente se confert[1]. Persuasum sibi hoc facto demonstrans, ut qui canes ab ingressu suæ ædis removerant, se quoque a Regis insectatione protegere possent. Nec spem eventus elusit.

« VIII. Quippe Clotharius ut eum sanctorum tutelam expetisse audivit, adhuc in majorem tollitur iram, mittitque satellites qui inde eum abductum sibi occissime præsentarent. Maturabant illi quod fuerat jussum implere. Cumque ad sanctum locum tendentes, non plus uno milliario abessent, ultra aspirare viam tendentes, divino nutu prohibentur. Redeunt ad dominum, et quid passi fuerant pandunt. Quorum fidei derogans, quippe qui suo imperio amorem filii prætulissent, delegit alios, qui quod hi neglexerant sagaciter implerent. Rursum illi similia patiuntur, et regressi eamdem rem iterato ingeminant. Sed nec sic animositas Regis deferbuit, et quod per ministros nequiverat, per se implere contendit.

« IX. Interea dum hæc aguntur Dagobertum Martyribus humili corde prostratum somnus repente corripit. Eique prono ita conjacenti adstant tres viri et corporum liniamentis et vestium nitore conspicui. Cumque in eos stupefactus intenderet, unus eorum qui socios præstare veneranda canitie et auctoritate videbatur, sic eum affatus est : *Scias, o juvenis, nos esse quos pro Christo passos fama asseverante audisti, Dionysium, Rusticum et Eleutherium, et nostra hic corpora tegi. Sed quia famam nostram sepultura quam vides et domûs hujus vilitas obscuravit, si memoriam nostri te ornatum ire promittis, hac te possumus quam pateris liberare angustia, et in cunctis auxiliante Deo præstare suffragium. Et ne putes somnii te illusum fantasia, accipe signum veritate subnixum. Egesta humo, qua monumenta nostra teguntur, quem quod*

1. Fabulæ §§ II, III et IV narratæ alludit auctor ex qua constat Dagobertum adolescentem, quum cervum quadam die agitaret, furiosos canes feræ in ædem ingressæ frustra instare admiratum esse ; quorum immundo ingressu hanc ædem violari divina vis non passa fuerit ; hoc in loco enim sepultos fuisse beatum Dionysium et socios Rusticum Eleutheriumque.

sepulcrum contineat literæ in singulis expressæ docebunt. Illico expergefactus nomina quæ audierat describit, et ex Martyrum alloquio ingenti exultatione tripudians, voto se quod postea studiossissime reddidit, obligat.

« X. Posthæc Clotharius filium, ut prætuli, a Sanctorum memoria per se avellere cupiens, comitantibus plurimis adpropinquabant. Sed quia non minus in Reges quam in alios homines divina quod vult exercet potentia, qui inertes alios arguerat, fit ipse iners. Ut manifeste intelligeret, quamvis ipse esset potens, potentioribus concedendum. Quippe Martyres fugitivum tuebantur, et econtra hostes longe a suis penetralibus arcebant.

« XI. Victus ergo Clotharius, et rei magnitudine stupefactus, ponit furorem, filioque redit in patrem, ignoscit culpam, de securitate pollicetur. Ita demum abeundi copia concessa, ædi beatorum Martyrum succedit, eosque patronos humili prece asciscit, quorum expertus fuerat manifestum virtutis indicium. Utque quam probata sibi eorum merita essent agnovit, plurimum auri et argenti ad exornandas eorum memorias obtulit, et ad exaltandam loci magnificentiam numerosa et optima prædia dedit. »

Hæc fabula in Dagoberti Gestis ad institutionem Sancti Dionysii monasterii refertur; in Flooventis poemate, bellorum narrationem secum trahit, ita ut ex eodem argumento quod tunc vulgabatur, injuria scilicet a Dagoberto præceptori illata, alia apud monachos, alia apud plebem deducerentur.

Nunc ultra progrediamur. Dagobertus a Clothario II in Austrasiam missus est quam regeret; cujus de imperio cum patre jurgavit. Nonne plebs juvenis Dagoberti illud regnum tanquam exsilium ob admissam culpam interpretari potuit? In Austrasia Saxones cum patre debellavit. Imo constat hoc Saxonicum bellum popularibus cantibus in Gallia celebratum fuisse : quod declarant eadem Dagoberti gesta verbis quæ citare pretium est.

« In illis quoque diebus Saxones nimium rebelles cum Bertoaldo duce commoverunt exercitus gentium plurimarum contra Dagobertum Regem Austrasiorum. Dagobertus vero et ipse, collecto hoste plurimo, Renum transit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitat. Illisque valde pugnantibus, Dagobertus super galea capitis sui percussus est, atque abscissa particula de capite cum capillis ad terram decidit. Adtira autem armiger

ejus a retro stans collegit eam. At ille cæsum cernens exercitum, dixit ad ipsum juvenem : « Perge velociter festinus defe-« rens crines capitis mei, nuntia patri meo quatinus veniens suc-« currat nobis, antequam cunctus corruat exercitus. » Qui statim cursum arripiens, Renum transiit, atque in Ardennam silvam, eò quod Rex Clotharius eo tempore inibi moraretur, Longolarium usque pervenit. Cumque nunciasset ea quæ contigerant, et deferens Regi abscissam particulam de capite filii sui adpræsentasset, Rex nimio dolore commotus, cum strepitu tubarum et exercitu Francorum illico de nocte consurgens, velociter Renum transiit atque in auxilium filii sui celerrime pervenit. Cumque simul conjuncti in unum hilari corde manibus jocundissime plauderent, supra Wisera fluvium tendentes, fixêre tentoria. Bertoaldus vero Dux Saxonum ex alia parte ripæ fluminis stans, paratus ut ad pugnam procederet, audiens tumultum Francorum interrogabat quid hoc esset. At illi responderunt, dicentes : « Dominus Clotharius rex advenit, et ob hoc lætantur Franci. » Quibus respondit cum cachinno dicens : « Formidantes vos ni-» mium, mentimini delirantes, Clotharium enim quem vobiscum « habere dicitis, nos mortuum esse auditum habemus. » Rex autem super ripam fluminis stans, galea induto capite, crinesque cum canitie variata obvolutos habens, et hæc audiens, galeam celerrime a suo capite deposuit. Cum nudatum a galea appaAruisset caput Regis, agnovit eum Bertoaldus regem esse, et irridens ait : « Tu hic eras, *bale* [1] jumentum? » Rex vero hæc audiens valde indignatus et hoc convitium graviter ferens, Wisera fluvium impatienter ingressus, cum equo velocissimo transnatavit, atque ferus ut erat corde, Bertoaldum persequebatur. Francorumque exercitus sequentes Regem, natando vix fluvium cum Dagoberto transibant per gurgites immensos. Rex itaque Clotharius persequutus Bertoaldum, certabat valde cum eo. Dixitque ei Bertoaldus : « O rex, recede a me, ne forte interficiam te. Qui si prævalueris adversum me, ita omnes homines dicent quod servum tuum Bertoaldum gentilem interemeris. Si autem ego interfecero te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, quod fortissimus Rex Francorum a servo sit interfectus. » Rex vero nequaquam adquievit dictis ejus, sed fremens ira magis magisque insurgebat super eum. Equites itaque

1. De hoc verbo vide P. Paris, *les grandes Chroniques de France*, I, 335.

a longe sequentes Regem clamabant dicentes : « Confortare contra adversarium tuum, domine Rex. » Erantque manus Regis valde graves : erat enim Rex loricatus et aqua sinum ejus, dum transnataret fluvium, replens, indumenta omnia nimium adgravaverat. Sed diu multumque decertantes, tandem insurgens Rex super Bertoaldum interfecit eum. Tollensque caput ejus in conto reversus est ad Francos. Illique lugentes (nesciebant enim quid Regi contigisset), viso eo gavisi sunt gaudio magno. Rex vero totam terram Saxonum devastans, et omnem populum interficiens, non ibidem majorem hominem viventem reliquit quam longitudo gladii sui quem spatam vocant, habere videbatur. Hoc itaque signum in regionem illam statuit, scilicet ut posteri discerent quanta Saxonum perfidia extiterit, et quanta Francorum polleret potentia, quantaque Regum provocata prævaleret animositas [1]. »

Narratio ista totis in partibus popularem fabulam arguit : Dagoberti certamen cum Bertoaldo et vulnus ; armigeri legatio ad Clotharium qui in Ardennis morabatur ; Clotharii auxilium tanta pernicitate allatum ut in campum non serius accurrat rex quam ut exercitum inclinantem servet ; epicum Clotharii et Berthoaldi sibi convicia jactantium certamen ; regis gallici victoria et fabulosum ultionis genus, id nempe quod popularis fama libenter referat. Narrationem totam se tanquam epicam fabulam prodere appareret, etiamsi hoc certissimo modo non aliunde doceretur.

Hæc scilicet leguntur in S. Faronis, episcopi Meldensis vita [2]. « Ipsa est gens *(Saxonum)* a Clothario Rege depopulata ex humano semine in tota terra illa neminemque reliquit majorem, nisi ad eam mensuram qua Regis ensis se attollebat. Ex qua victoria carmen publicum *juxta rusticitatem* per omnium pene volitabat ora ita canentium, feminæque choros inde plaudendo componebant :

De Chlothario est canere rege Francorum,
Qui ivit pugnare in gentem Saxonum, etc. »

Rustica igitur fuere carmina quæ bella Clotharii contra Saxo-

1. *Gesta Dagoberti*, xiv ; cf. *Gesta regum Francorum*, xli ; Dom Bouquet, ii, 567.
2. Acta sanctorum S. Benedicti sæculi ii, p. 590.

nes celebrabant; quorum ultimus tanquam sonus in Flooventiano poemate adhuc audiri potest.

Nunc ad Johannis Bodelli supra relatam narrationem redeamus de singulari certamine inter gallicum Ansæim et Saxonem Breharium, qui *in insula* de imperio decertabant. Nonne hic etiam aliquid de Clotharii certamine cum Berthoaldo *ad flumen Wisaram* remanere videtur, ita ut priscæ fabulæ tanquam longinquum et ultimum appareat vestigium?

Floovans Maugaliam de gente Sarracenorum (id est Saxonum) uxorem ducit; Dagobertus quoque Nanthildem, Saxonem etiam, in matrimonium recepit.

Cur vero Flooventis nomen Dagoberti locum usurpat? cur Floovens Cloovisii filius dicitur?

Mihi subjecit opinionem amicus G. Paris quam ita verisimilem habeo, ut non admittere vix queam. *Floovant* recentiorem arguit orthographiam et quæ in Alberico Burdigondiensi et in Philippi Mosketi chronico legitur. *Floovent* priscior forma est; cui syllabæ *ent* primitivum *int* subesse facile credas, si latinas voces *intus, lingua, vinca, tinca*, etc., quæ gallicæ evadunt *enz, lengue* (serius *langue*), *(per)venche, tenche* (serius *tanche*), etc., contuleris. Hoc vero primitivum *Floovint* corruptum esse a *Floovinc* facillime crediderís. Sic sæpenumero pro *Loherenc* (id est *Loherinc*) invenitur *Loherent*, pro *flamenc* (*flaming*) invenitur *flament*, unde nostrum *flamand* [1].

Floovinc autem nihil aliud est quam germanicum *Hlothovinc; Cloovisius* germanicum *Hlothovich* est, quum consonantes *Hl* in rustica Galliæ lingua sonent seu *Cl*, seu *Fl* [2]. In merovingis textibus *Cloovisius* et *Clotharius* modo *Cloovis Cloier*, modo *Floovis Floier* dicuntur [3]. *Floovinc* igitur est Cloovisii ethnicum nomen, idem sensu et significatione ac nostrum « Mérovingien », Merovingum (Merovinc) [4]. Inde patet Merovingorum regum totam gentem in plebis mente per fabulosam personam repræsentatam fuisse, *Floovinc* scilicet, id est *Cloovisiadem;* nihil mirum igitur

1. Cf. Diez, Gramm., I, p. 297 (trad. fr.).
2. Ibid. p. 298.
3. Cf. Pertz, SS., I, 38; III, 387; etc., etc.
4. Quum postea non jam intelligeretur nomen *Floovant*, in exteris regionibus a verbo *florem* vel *florere* derivatum est. Inde formæ *Floriven* vel *Florisen*, participium præsens, in provinciali sermone, verbi *florir*. Etymologiam nominis *Fioravante* jam supra (p. 54) exposuimus.

primi christiani Francorum regis filium istum *Floovinc* seu *Cloovisiadem* habitum esse. Huic autem fabuloso Cloovisii filio gesta attribuuntur maximi e Merovingis regibus, Dagoberti scilicet.

Quæ de Floovante conjecimus per islandicam de Flovente fabulam confirmantur: Flovent enim (id est Floovent = Floovenc, Floovinc) non cum *Sarracenis*, sed cum *Saxonibus* reipsa bellum gerit, filiam Saxonis Salatris uxorem ducit, ita ut Floventis fabula exacte cum Dagoberti historia congruat. Sed cur Flovens Constantini imperatoris nepos fingitur? Qui vulgarium fabularum indolem scrutatus erit facile agnoscet hic modo per vividam imaginem commercium exprimi quod inter Orientis imperatores et Francos reges exstiterit. Neminem enim fugit quam avide Cloovisius Cloovisiique successores amicitiam Constantinopolitanorum imperatorum appetiverint; sibi enim tanquam usurpatores semper visos, et, dum ab imperatoribus dignitates et insignia acciperent, tum demum tanquam justam ac legitimam facere suam in Gallia dominationem credidisse.

Quum præterea Franci reges cum græcis imperatoribus se conferrent, barbaros mores, rudem et impolitam vitam agnoscere cogebantur, et humaniores romanorum vel græcorum mores, firmamque et bene moratam imperii administrationem admirabantur. Imperium captum eodem modo ferum victorem cepit, quo Græcia olim Romam; etenim semper barbari victores politioribus victæ gentis moribus sua vice devinci solent. Inde fit ut strictum fuerit inter Orientem et Galliam commercium, quod vivide expressit vulgaris opinio, dum Floovinc, id est Merovingam progeniem et Merovingum regnum cognatione quadam cum imperatore Constantino, id est cum imperatoribus græcis et cum græco imperio conjungeret.

Nunc de Floventis injuria alia memorantur, quia *trovatori* quædam in fabulæ argumento mutare placuit. Flovens autem primus rex christianus in Francia fingitur, ita ut in eo et de Cloovisio et de Dagoberto tradita commisceantur.

Flovents Saga et de Floovente poema fere integra igitur nobis de Cloovisio et Dagoberto tradita ferunt, non ita confusa ut fabulæ originem et formationem discernere nequeas.

Totam hanc disquisitionem repetamus. Constat Flooventis Floventisque poemata de Merovingorum regum traditis quidquam referre. Constat quoque e Johannis Bodelli proœmio poeticas exstitisse fabulas de bellis Francos inter et Germanos sub regi-

bus Merovingis et de Carolinga familia Merovingæ succedente. Poemata demum de Mirmante, de Florente et Octaviano, de Ciperico et de Carolo Calvo, sæculo XIII° et XIV° scripta, affirmare nos jubent in sæculo XII° exstitisse poemata quæ gesta regum Merovingorum celebrarent. Inde sæculo XII° cyclum Merovingum floruisse apparet.

Sed quænam hujus cycli origo? Num, exhaustis Carolingis argumentis, ad reges Merovingos sese converterent *trovatores*? Minime quidem. Nam isti textus non *historicam* originem produnt, non ex libris chronicisve trahuntur. Nullum in *Chronicis Sancti Dionysii* nostrarum fabularum vestigium offendes; quod ad fabellam de Dagoberto magistro barbam tondente, credi quidem possit scriptorem eam e *Gestis Dagoberti* vel e *Chronicis Sancti Dionysii* (quæ *Gestorum* historias referunt) sumpsisse : etenim in prooemio scribit :

> Et qui ice voudrai a mançonge tenir
> Se voist lire l'istoire en France, à Paris.

Sed solent omnes *trovatores* fingere poemata e latinis fontibus deducta esse quo majorem fidem audientibus faciant. Ceterum major est inter Gestorum et Floovantis narrationem discrepantia quam ut trovator gesta imitatus esse credatur.

Restat igitur ut e popularibus fabulis desumpta fuerint. Sed quomodo Merovingæ fabulæ, sæculis VI° et VII° natæ. per sexcentos annos, per ora populi vigere potuerunt, nisi illas servaverit forma quædam certa et ea quæ non mutaretur, sive prosa oratione narratas quales hodie adhuc nostræ populares et pueriles fabellæ *(contes de fées, contes populaires)* per sæcula traduntur, sive versibus, sub cantilenarum specie, credideris.

Sed vidimus jam cantilenas sub Clothario Dagobertoque floruisse quæ epicum in modum illustrium illorum regum facta celebrarent. Non temeraria igitur conjectura affirmare possumus Merovingas fabulas cantilenarum formam induisse, et Merovingum cyclum exstitisse qui per sexcentos annos viguerit.

Potentium Merovingorum regum memoria per populum servata erat. Inde vestigia illa quæ in poematis sæculo XIV° retractatis offendimus. E regibus istis præsertim Cloovisius utpote Christianæ fidei in Gallia institutæ fautor et auctor, et major Ecclesiæ natus (huic attributum vidimus divinum ensem

Joyeuse), Dagobertusque ut potentissimus celebrati fuerunt. Inde fabulæ epicæ quæ per sæcula traditæ fuerunt quarumque ultimam retractationem in Floventis Flooventisque poematis reperire est. Circa Dagoberti nomen præcipue poeticum cyclum floruisse patet cujus imaginem referunt *Gesta Dagoberti*, quæ merito Sangallensis monachi historiis de Carolo Magno comparata sunt. Quin imo, hujus cycli indolem suspicari licet. Jam enim animadversum est singularem in modum Dagoberti veram sive fabulosam histôriam cum Caroli Magni congruere. Maximus Merovingæ gentis Dagobertus est ut Carolus Magnus Carolingæ: ambo bello et pace clarissimi, ambo justitia celeberrimi, Ecclesiæ fautores ambo; *ambo Vasconiam aggressi sunt, et utriusque dum exercitus e victoria redux Pyrenæos transiret, horrenda strage a Vasconibus affectus est* [1].

1. « L'histoire ne mentionne ni l'auteur de la trahison (de Roncevaux), ni les gorges de Roncevaux, théâtre de la défaite; elle garde un silence absolu sur ces douze comtes, ducs ou pairs de France, qui, dans la chanson, conduisent l'arrière-garde, et meurent sur le même champ d'honneur... Quelle pourrait donc être l'origine de la tradition, certainement ancienne, de ces douze pairs de France, et d'où vient la consécration de ce grand nom de Roncevaux?

« Il nous semble qu'on pourrait rattacher l'une et l'autre à l'existence d'une chanson de geste plus ancienne encore, et fondée sur un événement antérieur à Charlemagne et même à l'ère carlovingienne. Nous savons combien une critique judicieuse doit craindre de s'égarer en demeurant, à des époques trop reculées, les origines de la poésie française, et sur ce point nous reconnaissons la nécessité d'une extrême circonspection; mais il n'en est pas moins permis d'indiquer dans le caractère des événements connus du règne de Dagobert Ier, dit le Grand, une frappante analogie avec les traditions poétiques du règne de Charlemagne. A Dagobert, fondateur de Saint-Denis, semble devoir remonter la tradition de l'oriflamme et du cri de guerre *Montjoie Saint-Denis* [1]! Conseillé par saint Eloi, comme le Charlemagne des trouvères par l'archevêque Turpin, il avait partagé l'héritage paternel avec son frère, comme Charlemagne avec le sien; il avait guerroyé contre les Gascons, les Aquitains, les Saxons, comme Charlemagne; enfin, il avait, comme ce dernier, éprouvé une défaite mémorable dans les Pyrénées, racontée par l'auteur des *Gesta Dagoberti*, comme le fut plus tard, par Eginhard, celle de Roncevaux. *(Hic excerpta e chronicis S. Dionysii quæ Gesta Dagoberti vertant refert doctissimus auctor. Melius antiquissimum ex omnibus textum citare credidimus.)* Il est, disons-nous, difficile de ne pas reconnaître une grande analogie entre ce récit des Gestes de Dagobert et les passages d'E-

1. Dubium. Vide supra, p. 35, n. 5.

Hæc narrat Fredegarius, quæ narratio in Gesta Dagoberti (et in Aimoini chronicon) transivit :

« Anno XIV regni Dagoberti, cum Wascones fortiter rebellarent, et multas prædas in regno Francorum quod Charibertus tenuerat, facerent, Dagobertus de universo regno Burgundiæ exercitum promovere jubet, statuens eis caput exercitûs, nomine Chadoindum, referendarium, qui temporibus Theudorici quondam Regis multis præliis probatur strenuus : qui cum decem Ducibus cum exercitibus, idest, Arimbertus, Amalgarius, Leudebertus, Wandalmarus, Waldericus, Ermenus, Barontus, Chairaardus, ex genere Francorum, Chramnelenus ex genere romano, Wilibadus Patricius ex genere Burgundionum, Aigyna ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant, in Wasconia cum exercitu perrexissent, et tota Wasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Wascones de inter montium rupibus egressi ad bellum properant. Cumque præliari cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes, dum cernerent se esse superandos, in fauces vallium et montes Pyrenæos latebram exercitus post tergum eorum cum Ducibus insequens, plurimo numero captivorum eorum incensas, peculiis, et rebus exspoliant. Tandem Wascones oppressi seu perdomiti veniam et pacem a superscriptis Ducibus petentes, permittunt se gloriæ et conspectui Dagoberti regis præsentaturos, et suæ ditioni traditos, cuncta ab eodem injuncta impleturos. Feliciter hic exercitus absque ulla læsione ad patriam fuerint repedati, si Arimbertus dux maxime cum senioribus et nobilioribus exercitus sui per ne-

ginhard relatifs à la défaite de l'arrière-garde de Charlemagne dans les Pyrénées. *Robola* ou *Rubola* doit être la vallée de la *Roule* qui touche aux gorges de Roncevaux, si ce n'est même le val Ronce ou Roncevaux que l'historien de Charlemagne n'a pas nommé [1]. Il y a donc peut-être lieu de conjecturer que la mort d'Haribert a pu fournir le sujet d'une ancienne chanson française ou tudesque, et que le langage en ayant vieilli ou s'étant perdu, les poëtes du siècle suivant en auront cousu des fragments à la trame d'une chanson nouvelle, de façon à réunir dans le même récit la mort de Roland et celle des douze ducs de Dagobert ». (P. Paris, *Histoire littéraire de la France*, XXII, 731, 732). Cf. quæ scripsit G. Paris, *Hist. poét. de Charlem.*, p. 111.

1. Haud equidem credo ; vide p. 1, n. 113.

gligentiam a Wasconibus in valle Subola[1] non fuisset interfectus. Exercitus vero Francorum qui de Burgundia in Wasconia accesserat, patrata victoria redit ad proprias sedes[2]. »

In populari Dagoberti historia igitur et Roncisvallensis stragis typum et, quod majus est, duodecim Pares invenimus; ita ut duodecim Floovantis socios quorum in Flooventis poemate facinora legimus, forsan e Merovingis fabulis originem ducant.

Constat igitur cyclum Merovingum exstitisse; illius autem ad instar forsan fictum fuisse Carolingum. Merovingæ cantilenæ per sæcula a joculatoribus traditæ et retractatæ, paulatim crescentis et magis magisque vigentis et mirimodis sese extendentis Carolingi cycli vim passæ, ad exemplar ceterorum Carolingorum poematum deformatæ fuerunt, non ita tamen ut in Floventiana Flooventianaque fabula meram adhuc primitivarum fabularum imaginem, et hic et illic in aliis poematis quædam vestigia invenire nequeamus. Sed Merovingus ipse cyclus in Carolingum haud aliter quam fluvius in lacum quem ipse alit sese immitteret et perderet necesse fuit.

Non vero per sæcula abolita fuit Merovingorum regum præsertimque Dagoberti apud plebem memoria. Sed, o mirandas rerum humanarum vices, cantilenarum Merovingarum e quibus fontem et originem nostra medii epica ævi poesis duxerat, unicum adhuc permansit vestigium, vulgaris illa et comica de « bono rege Dagoberto » :

Rex est Dagobertus
Perverse bracatus.

Sic transit gloria mundi!

1. *Robola* in Gestis Dagoberti et in Aimoino; perperam. Legendum est *Subola*, hodie *Soule*.

2. *Chronicon Fredegarii*, apud Dom Bouquet, II. p. 112.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
a. d. VI Id. febr., anno M.DCCC LXXVII.
Facultatis Litterarum parisiensis Decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur.
Academiæ parisiensis rector,
A. MOURIER.

APPENDICES.

I

FLOVENTIS SAGÆ OLAVIANA VERSIO[1].

(p. 1.) # FLOVENTIS REGIS FRANCORUM VITA.

(p. 2.) ## LECTORI SALUS.

Nobilissimi Domini Johannis Grammii S. R. M. conciliarii Justitiæ, Bibliothecarii, Archivarii, et Historiographi Regii, Gr. Linguæ Prof. P., in collegio Consistoriali Assessoris gravissimi; necnon Univ. Hafn. Rectoris longe dignissimi mandato obtemperaturus, Historiam hanc ex Islandico in Latialem sermonem transferendam curavi. Textum Islandicum suppeditarunt sex exemplaria, quæ in Bibliotheca B. Arnæ Magnæi asservantur. Quorum tria priora formam folii habent, reliqua sunt forma minori. Ex his variantes lectiones, et quicquid unum plus quam alterum continebat, excerpsi, annotavi, et huic versioni apposui. Capitibus etiam lemmata addidi.

Primum exemplar, quod litera A de*signavi* membraneum est, sec. xv,

1. Bibliotheca Nationalis; fund. lat. 8,516; parvum in-4°; chartaceum; cf. suprà, p. 59.

ut videtur, conscriptum. B *et C char*tacea sunt, ferè per omnia concordantia : D itidem *chartaceum* est, sed in compendium redactum, cæterum adeo A simile, ut hoc illius Epitome videatur. E et F utrumque fragmentum membranaceum est : nam E incipit cap. v, deficit cap. x; at F ab initio integrum, explicit cap. xviii. Horum prius, recenti manu exaratum, in multis cum A convenit, posterius vero paulo post medium sec. xiv conscriptum esse, literarum ductus indicant, et id horum omnium optimum esse censeo; cæteroqui A et D in multis simile. Hæc vero versio juxta tenorem B et C promiscuè est adornata.

De ipsius Historiæ (si id nomen meretur) veritate non multum laboro, illa quidem videtur sec. iv (ut in fronte illico apparet), temporibus scilicet Constantini magni, et Paparum Sylvestri Marcique gesta esse; (*p.* 3) sed reclamat sæpiusculè repetita Mahumetis mentio, perinde ac si res, quas refert, contigissent seculo viii ante Car. Magni initia. Adde quod Ethnici in textu aliquoties vocantur Progenies Judæorum, ut et Chami, v. infr. cap. xiii. Nec non nomen viri Isaach, cap. xviii, etc. Non tamen obstat Idolorum appellatio, quo minus prior sententia ad veritatem prona videri possit, si reliqua aliàs firmo nituntur talo. Conditor enim ejus Historiæ posterioribus vixit seculis, quibus forsan ignotum fuit, queis nominibus hæc idola remotioribus vocabantur temporibus. Nuncupat igitur Auctor idola iis nominibus, quæ seculo ejus cognita fuere. Sin denique in iis commentariis, quibus fides haberi potest, occurrit aliquis hujus nominis, qui genus ex Constantino duxerit, et res *Sarra*cenorum in Europa sec. viii profligavit, res erit *prope*m*o*dum salva. Ego hæc confusa adeo non conciliare possum, ut eadem potius in medio relinquam; nisi quæ mea mens est, dixerim, nempe hanc Historiam, omnibus criteriis simul sumtis, inter ea commentorum genera, quæ vulgo *Roman* (Fabulæ Romanenses) appellantur, reponendam esse. Porro in Islandia hodiè inter Historias incertæ fidei annumeratur, æque ac reliquæ plurimæ, quæ de rebus gentium paulo remotiorum agunt; sed tantum oblectationis ergo auditoribus (qui mos jamdiu invaluit) prælegitur, qui, uti et ipsi legentes, parum de fide ejus solliciti sunt.

Quod ad Scriptorem attinet, neutiquam Author Islandiæ gentis fuit, id quod ex frontispicio statim illucescit. Ibi enim Ludimagister ille Lugdunensis Simon (qui (*p.* 4) subinde indigitatur) Authoris nomine venit, et complura sunt alia, quæ huic rei lumen fœnerantur. Sententiæ huic robur et firmamentum in primis addunt nomina propria virorum et locorum, Islandismum minime redolentia, quæ tamen aliàs Islandi plurimum ad linguam suam aptare solent. Nomen quidem

Flovent in Islandia Septentrionali invenitur, fateor; sed non ante Reformationis tempora. Reliquis nominibus nemo ejus gentis nuncupatur. Sed hoc de veritate Historiæ nihil detrahit, nec auctorem, cujas fuerit, indicat. Cogitationi huic, quam foveo, ampliorem adhuc campum aperiunt: prolixa nimis narratio, precationes, epitheta, Authoris exclamationes, nec non hora prima (quæ in historia bis occurrit) et id genus alia, quæ in veris et genuinis Islandorum historiis non facile inveneris. Rem denique conficit omnino et absolvit proverbium illud Gallicum, quod exstat, cap. XVII. Hæc et alia, inquam, sufficiant ad probandum hanc Historiam ab Islandis solum translatam, non confictam esse.

Cœterum stylus hujus versionis, si forte plus justo genium Islandicum sapiat, qualiscunque est, talis tamen est, ut seriem solius Historiæ fideliter explanet. Nec enim Translator, quantum valeret latinitate, ostendendi animum habuit, sed voluit tantummodo Historiam, qualiscunque sit, sive vera, sive falsa, cupidis instillare animis. In spem igitur erectus sum certissimam, futurum ut optimus quisque et cordatus lector hosce conatus meos benigno animo prosequatur, serena fronte excipiat, nec si qui nævi irrepserint, eos censoria nota taxet, bene gnarus, quod officiosos conatus non viribus magis, quam voluntate metiri deceat.

L. Benev. observantiss.

J. Olavius.

Stud. Isl.

Hafniæ x cal. x^br^. a°. Christi MDCCXXXII.

(*p.* 5) Cap. I.

De genere et ortu Floventis, qui in convivio Comitem quendam Romæ occidit. Hinc irato Cæsare ex aula subduxit sibique fuga consoluit.

(*a*) Temporibus Constantini Imperatoris, et Sylvestri Papæ adolevit Romæ puer egregiæ indolis, nomine Flovent, qui Imperatoris ex sorore

(*a*) Exemplar membr. A et chartacea B C hanc historiam sic exordiuntur: Historia hæc neutiquam commentis constat, quibus ingeniosi viri delectari

nepos erat et Reginæ Helenæ ex filia natus. Ab incunabulis cœlestium præceptorum disciplinis innutritus est, et prima juventutis face assuefactus omnibus ludi et exercitiorum generibus, inter quæ educari solebant Principum filii ad ostrum sublimioremque orchestram geniti. Juvenis admodum tanto animum ardore incendit, tot agitavit motibus, ut in secundis persistere indignum ratus, magno visu, nec sinistro irritove conatu, ad primas contenderit.

Annos enim quindecim natus, Romam petiit, munia Imperatoris, avunculi sui, obiturus. Erat autem festo servatoris nostri natalitio convivium solenne institutum, ad quod Imperator per nuncios eum accersiverat. Illuc etiam magna cohors Regum, Comitum et Dynastarum, ingensque multitudo hominum confluxerat.

Prima die feriarum, sacris ritè peractis, Imperator conchyliatis vestibus decoratus, corona sua redimitus, et turba invitatorum Principum aliorumque purpuratorum stipatus, aulam introiit, ad quadras exquisitissimas dapibus oneratas, accumbendi ergo. Ibi gulas irritabant invitantes epulæ, in mensis repositæ : omnia vasa auro argentoque fulgentia odorem edidere aromaticum. Delecti pueri epulantibus coronata ministrabant pocula, quæ Primet [1] et Claret aliaque fragrantium potuum genera redolebant *(b)*, ita ut generosissimum vinum minimi pretii haberetur. Omnes comiter erant excepti, lætissimum quemque præbebat exoptabilis conventus.

Ibi comparebat etiam Flovent, tunicam auro intextam inductus. Erat hic purpuratus præ ceteris forma corporis a vertice usque ad plantas spectabilis. Oculis enim acutus, humeris latus, lacertoso sub brachio modicè obesus, verissimam venustioris effigiem possidebat. Verbo : quod ad formosissimam conspicui vultus speciem pertinere contendis, si id in ullo unquam, certè in hoc purpurato fuit.

1. Lege *piment.*

solent, quia Magister Simon invenit eam in urbe Franciæ Lion (Lugduno) [addit F : ubi scholaæ præfuit] eamque in linguam Francicam stylo admodum eleganti transfudit. Historia hæc agit de primo Francorum Rege [F : Imperatore, qui verum Deum, etc., quem Sylvester Papa, etc.] qui verum Deum coluit, ejusque legibus obtemperavit. Hic Constantini (annosi illius Imperatoris, quem Sylvester Papa sacris Christianorum imbuit) ex sorore nepos, nomine Flovent fuit, natusque in urbe, quæ Thiberi [B : Tybery ; F : Aube (forsan Aubanea)] dicitur. Cum autem xv esset annorum munia Cæsaris obire cœpit, etc.

(b) A B *addunt :* et potus, qui dicitur Vepe, [forsan idem qui Latinis Vappa.]

Flovent, specie adeo commendabilis assurrexit, petiitque a pincerna Imperatoris, ut poculum vino oneraret, dicens se hoc Imperatori allaturum, humilitatis et devoti officii ergo. At pincerna invidens Floventi concinnam corporis structuram egregiamque morum suavitatem, qua omnes antecelluit, scyphum insulsè implet, nimisque impletum porrigit. Flovent autem nimis impletum sibi datum non observans, Imperatoris ad mensam tendit; cui in anteriore parte Dux quidam accumbebat, astutia et superbia plenus, ad quem cum cominus accessisset Flovent, minutæ forte guttulæ quassati scyphi, præter voluntatem, genis *(c)* Ducis sunt instillatæ; qui ira illico incensus colapho Floventi inflicto, hæc convicia evomuit : Male, tu spuria proles, moratus es : ostendis enim, qua stirpe oriundus sis. Mali corvi malum ovum. Deum testor, si me non abstineret, tum sanctitas feriarum, tum etiam veneratio lautissimi hujus convivii, te profecto in sordidissimum Romæ locum detruderem. Hæc ille aculeata voce. Tum Flovent in mensam *(p. 8)* scyphum subito deposuit, nihil curans, etsi aliquantulum efflueret vini. Licet teneræ ætatis esset, ira tamen concepta, singularem pugnam interritus commisit; quippe Ducem forti præsentique animo adortus collum ejus tanta vi cæcidit, ut illud confringeret, et uterque oculus eluscatus genis inhæreret. Itaque Dux pede Floventis prostratus exspiravit. Verum Flovent : Hæc te, inquit, gratia merito manet, ob nefaria tua, quæ sufferre non potui, verba; et continuo aulicas ad fores recedit.

Imperator vero sonora voce clamans : Hunc, inquit, factiosum comprehendite, ut quam Lex expostulat pœnam patrati facinoris luat. At Flovent omnibus tanto familiaritatis et amicitiæ jure erat conjunctus, ut nemo ei manum inferre vellet. Nullus tamen consanguineorum ausus fuit coram Imperatore causam ejus dicere aut deprecari. Tum Imperator per Apostolum sanctum Petrum juravit, Floventem si Romæ comprehensus fuerit, capitali supplicio puniendum *(d)*. Sed Flovent ad suum hospitium accelerans, armigeros suos Otunem et Jofreirem (quos semper secum habuit) accivit, iisque demandavit, ut quam ocyssimè equos instruerent; quod illi, ad mandata non tantum, sed etiam nutum intenti, perfecere.

Hæc audiens hospes *(p. 9)* quæsivit, quid novi esset? Cui Flovent : carissime, inquit, Domine, sic malè accidit, ego in conspectu Imperatoris

(c) B C : gremio. D et F : vestibus.

(d) A : aut ex toto Romano imperio proscribendum. Sed forte Deus Cæsarem horum verborum aliquando pœnitere faciat; nam (ut Mag. Simonis verbis utar) fatuum est de quacunque re nimis magnificè loqui.

hominem quendam occidi; Cæsar autem, si Romæ captus forem, me morte mulctandum esse jurejurando affirmavit. Unde hospes sensu doloris acerbissimo affectus, equum, qui dicebatur Baudan *(e)*, grave auri argentique pondus, gladium et omnem armaturam Floventi dono dedit, dicens : Videris mihi tam fortis, ut te ipsum defendere possis. Deinde Flovent equum insiluit, et cum stipatoribus hospiti meritas gratias persolvit, itinerique Alpes *(f)* versus se commisit.

Cap. II.

De conflictu Cæsaris et Floventis, cui Flovent ensem et equum abstulit.

Imperator et ira et mœrore affectus, ob insigne facinus ipsius in aula et conspectu, sanctissimis feriis Summi Numinis patratum, omnibus palam votum concipit, et se devovet, neque comessurum neque bibiturum : usque dum, ait, factiosum hunc hominem, vinculis constrictum mihi tradideritis. Illi vero eum ex urbe dudum exiisse asserebant.

Hoc audito Imperator equum Magrimonem *(a)* instrui, omnemque armaturam sibi afferri jubet : Vos etiam, (*p.* 10) inquit, arma capite et me consequimini *(b)*. Strato deinde velocissimæ pernicitatis equo, quem nivei coloris, insula *(c)* quædam ferebat; Imperator gladio, qui optimus Romæ habebatur succinctus, latus clypeo magni ponderis munivit ; hastamque tenuit, pulcherrimo affixam vexillo. His armis instructus equum ascendit, magnaque equitum turba stipatus urbem reliquit, Floventem via, qua iter properaret, omni festinatione persecutus. Equus quo Imperator vehebatur, velocitate præ aliis pollebat. Articulo igitur temporis a suis longe *(d)* provectus, Floventem qua via duxit equitantem, conspicatus, clamavit : Non prodest, profligatis-

(e) A : Boduan et interdum Boduant. B C et F : Boudan.
(f) A et F : Galiam versus.

(a) A : Megremon. F : Magremon.
(b) A D F : arma plusquam c. equites ceperunt.
(c) A D : quæ Tibri, qui Romam intercidit, austrum versus objecta est.
(d) F : dimidium milliare,

sime, et fallentis spei juvenis, fugam accelerare; nemo enim nostrum ad te properantium, ante recedit, quam pœnam commissi homicidii dederis meritissimam, ne egregios meos viros flagranti ira posthac occidas.

Imperatorem magna cum indignatione ad se loquentem Flovent audivit. Quapropter optimus hic juvenis, utpote qui prætextatæ adhuc et puerilis prope ætatis erat, Deum hunc in modum precatur : Omnipotens Deus, qui omnia gubernas, indulge, quæso, precibus meis, et scelus peractum condona : respice vulnera Filii tui, Assertoris mei, mihique fluenti et procumben-(*p.* 11)-ti subsidio veni : animum et vires mihi suppedita, corpusque meum custodi, ne occidar vel tradar. Fac ut noster congressus utraque ex parte decentem ferat eventum, Tibi autem gloriosum. Ego enim juvenis nunquam in arenam descendi. Quod si reversus cum Imperatore congrediar, me superatum iri certissimus sum : nam ille audit Heros belli expertus, qui usuram triumphalis decoris sæpiusculè præcerpsit. Sin in fugam me dedero, fugientis vestigia premit, subitoque me retrahit.

Anxius ancipiti adeo periculo, incertusque quid ageret, demum hoc in æstu periculorum portum vidit tutissimum divinum implorando auxilium. Summum jam Numen, inquiens, Beatamque Viginem Mariam supplex, precor, oro et obtestor, ut me hodiè in tutelam suam recipiat, sine qua de me jam actum est et conclamatum.

His dictis animum recepit, et equo calcaribus concitato, acri impetu in avunculum suum cursum convertit. Illi strenuè concurrentes alter in alterum hastam contorsit. Imperator irrito successu; at Flovent tanta vi jaculum emisit, ut hosta clypeum et loricam *(e)* ex transverso sub ala, corpore tamen illæso, penetraret, ut Imperator ex equo præcipitaretur. Quo labente gladius forte (*p.* 12) vagina vacuus in terram delapsus est, quem Otunus *(f)* illico occurrens arripuit, Flovent autem equum ornatè instructum prædatus dixit : Hunc ego nunquam tibi reddam, etsi eum xx marchis purissimi auri *(g)* redimere velles. Deinde Magrimonem insiluit, subsequentibus stipatoribus, quibus clarior spes jamjam affulgere cœpit, ne in orbe Romano capiendi forent.

(e) A et F *addunt* triplicem. Deus autem corpus ejus intactum servavit, aliàs (ut inquit Mag. Simon) convivium ejus tragico sanè exitu finitum fuisset.

(f) A : Othun, B C F : Otun, D : Otuen.

(g) A : viginti oneribus auri contriti, quanta ipse equus portare poterit, redimere velles. D : viginti asinorum onera.

Imperator vero humi prostratus iratusque campo sedebat, donec ejus Satellites accurrerent. Tunc illi quærunt, quid hoc rei esset? *(h)* At ille : amici, inquit, nolite mihi illudere. Certe ego vel ingens auri argentique pondus dare vellem, ne unquam huc accelerassem : nam Flovent equo omnium generosissimo et gladio multis præstantiori me spoliavit, ibique properans aufert.

Illi Imperatorem erigunt, erectumque equo imponunt. Romam revertententes *(i)* ubi P(r)iment et Claret minime defuit.

Imperatorem Servatoris nostri Natalem convivio regaliter instructo celebrantem omittemus, fata Floventis plura persecuturi.

Cap. III.

Eremita quidam, ab Angelo monitus, arma sua Floventi donat, quem et in Gallias ire jubet (p. 13), *et variis salutaribus monitis instruit, eique sua futura prædicit, benedicitque.*

Die in vesperam declinante, ad urbem quandam venere, ubi commodè divertebant. Postero autem die sub lucis auroram magno cum labore Apenninum *(a)* ad montem perrexerunt, tritamque proficisci viam timentes per confragosas et pene inaccessas salebras, præruptaque saxa et loca depressa tetenderunt.

Multum autem vesperescente [1] cœlo, Otunus ultro citroque circumspectans: Domine Flovent, inquit, video domicilium quoddam et sacellum juxta positum, ubi noctem transigere necessum mihi videtur. Eo Flovent mox eundo consentit. Domicilii autem munimenta ex anteriore parte fossa, ex interiore vero murus cingebat. Quo ubi ventum erat, relaxatis equis, quorum curam Jofreirus agebat, Flovent sacellum adiit, Deum adprecaturus.

Hasce ædes Anachoreta quidam tenebat, et cum eo dui *(b)* viri, qui

1. Cod. *Vesperascente.*

(h) D *addit :* Floventemne prostravisti?
(i) D : Hoc modo convivium dissolvitur.

(a) In textu : montes Mundiæ.
(b) A F : duo juvenes, agrum ejus colentes, etc.

victum illi curaturi, ignem, ligna, aliaque id genus necessaria suggerebant. Hic tumultuosus olim exstitit verbi divini contemtor, qui nuntio virtuti remisso, eo impietatis venit, ut sex *(c)* viros sanctos, et vita clarissimos interimeret. Demum feliciori Papæ Sylvestri ductu expergefactus meliora sapuit, mysteriis veræ religionis institutus, cœlestisque Numinis cul-(*p.* 14)-tui addictus, adeo, ut *(d)* Angeli Dei alternis diebus ei apparentes, Psalmos Davidis hunc veræ religionis candidatum edocuerint *(e)*. Hic etiam Ethnicos sæpe incursantes, strenuè se vindicando, armis, quæ optima possedit, profligavit.

Otunus jam ad fores aggressus leni ictu pulsavit, quod audiens Eremita *(f)* quævit : Quisnam ibi et qua de causa ? Cui Otunus : Sine nos, Domine, hic pernoctare. Eremita : Quot estis ? Otunus : Unus juvenis, et nos duo ei famulantes. Eremita : Ubinam ille tuus Dominus ? Otun : Ecce, inquit, ille ad fores sacelli provolutus precibus incumbit. Quos ut Eremita Christianos esse cognoverat : Dei ergo, inquit, vos hospitio excipiam et quantum in me est hospitalitatis exhibebo.

Tum Jofreir, equis in stabulo locatis, fœnum dedit, Otun autem Floventi promissum hospitium in promptu esse indicavit : qua propter ille Deo gratias egit *(g)*. Deinde domum intrantes nullum sedile ad reficienda defatigata corpora præter querceos quosdam truncos reperiere. Ignis tamen ex arefactis lignis erat accensus, ut torpida sua membra foverent. Tum Flovent : expedit cibum capere, et inde se quieti dare. Statim erat mensa apposita, instructa tribus limbis favis subcineritii, et aqua in vasculo. Quem apparatum cum videret Otun, dixit : Non potes, Domine (*p.* 15) Flovent, atro hoc pane te saturare. Cui Flovent : Possum equidem hoc usque ad satietatem vesci : quod etiam docuit eventus ; non tamen magis quàm quartam partem unius panis hi tres consumpsere, sed nihilominus bene saturati erant. Postea cubitum euntibus, loco culcitrarum et pulvinarium, lecti erant, egestatis causa, arborum cortices *(h)*. Tum Eremita iis faustam felicemque noctem exoptans, sacellum adiit, Deum precibus appellaturus. Ubi Angelus Dei consolandi

(c) D : tres, F : quinque.

(d) A D F : ut angelus Dei omnem eum cultum, qui in sancta Ecclesia celebratur, edocuisset.

(e) A F : fuit quondam vir potens et insignis athleta.

(f) A F *addunt :* qui tum temporis cœnabat.

(g) A *addit :* et ejus sanctis viris.

(h) A F : Heremita quærit : Unde vos venistis ? Flovent : Sancte Pater, inquit, veni Roma, ubi omnes mei cognati habitant. Deinde exilii sui causas aperit, et quod sub aliquo potenti principe merere velit, etc.

causa apparuit, precantem ita allocutus : Has ad ædes Imperatoris Romani ex sorore nepos, ob perpetratum in conspectu Imperatoris homicidium extorris, advenit, qua de causa variis iisdemque catenatis adversitatibus exponi eum oportet. Jam tibi Dominus Jesus Christus omnia tua arma huic hospiti tradere jubet, quæ tibi posthac non usui erunt. Hisce enim instructus multos Ethnicos, legum divinarum contemtores, contristabit, contundet, et si firmiter Deo crediderit, totius Franciæ regno solus tandem potietur. Eremita respondet : Jube ut id donum concedam. Hisce dictis, Angelus ex oculis in auram evanuit, Eremita autem solito more preces horarias peregit.

Deinde conclave suum introiit, armaturam omnem sumsit, Floventemque vocavit : Fili, inquiens, juvenis *(p.* 16) optimæ spei nobilis heroicæque indolis mihi videris, bonis igitur ac pretiosis armis te instruam, ne ullum posthac fortiorem timere necesse habeas, usque dum ea retinueris. Duplicem igitur loricam, instar nitidissimi argenti albicantem, galeam purissimo auro exornatam, clypeum quadruplicem, et denique gladium (cujus capulum aureo filo obvolutum, anteriori sui parte aureum erat) generosissimo huic juveni dono tradidit, dicens : Hunc gladium nanus quidam *(i)* miro fabricavit artificio, quem toto terrarum orbe optimum existimo. Cum autem induratus esset, faber experiundæ virtutis gratia, quam scilicet acutus esset incudem per medium dissecuit *(k)*. Porro gladius vocatur Jovis *(l)*, quo significatur lætitia : is enim illum, qui hoc utitur lætum præstabit atque interritum.

Acceptis jam armis, Flovent pedes Eremitæ, ad quos se venerabundus prostravit, deosculari conatur, sed inhibuit eum Eremita.

Cæterum Flovent dixit : Venerande sancte Pater, consule mihi et doce, quid factu optimum sit. Cui Eremita : In nomine Dei vera et sana tibi consilia suggeram. Ito in Franciam, quam Rex, nomine Florent, regit. Illi jam opus est viris fortissimis bellique acerrimis; nam Rex Saxonum Salatres cum ingenti exercitu et quatuor Regibus coronatis *(m)*, præter multitudi- *(p.* 17) -nem aliorum Principum et illustrium virorum, Franciam inundavit, et multa prælia cum Rege Francorum commisit : qui adversam belli fortunam toties semper

(i) A C F : ferrarius Joseph septem annis elaboravit. C *addit :* ad quod omnis generis ferrum elegit.

(k) C : saxa in terram usque dissecuit.

(l) A : Jovisen, C : Joves, et alibi Jovesa, F : Jovisa.

(m) Addit A : quorum quisque octo millia [D : mille] militum ducit.

passus, tanta jam angustia premitur, ut hostis omnes regiones ejus juris sui fecerit, præter solam Lutetiam Parisiorum, quam nunc insidet. Tum Flovent : O ! utinam ibi jam essem ! Pergit Eremita : Etiam te quoque scire velim, quod omnis populus abhinc aquilonem versus ethnicæ superstitioni magnopere sit deditus, qui te esse Christianæ religionis si percipiant, usuram lucis tibi eripiunt. Suadeo igitur, ut fana eorum quidem intres, et coram idolis genua flectas, verumtamen te soli vero Deo deditum esse corde censeas. Ego vero illam culpam in me suscipiam, vobisque clementissimum cœli favorem pro certo pollicebor.

Ad hæc ærumnas et multas difficultates ab Ethnicis te pati oportet, quæ erunt in pœnam homicidii patrati, festis Altissimi. Præterea Deus mihi revelavit, te totius Franciæ imperio potiturum, si perpetua modo cœlestium præceptorum tibi manserit custodia; tuo quoque auspicio multi a spuria et personata ad veram et germanam religionem transcursuri, in penitiorem Dei familiaritatem penetrabunt. Perge itaque eundo in nomine Domini.

Tum Flovent : Sit laus et gloria Jesu Christo ! Stipatores suos (*p.* 18) deinde vocavit, qui ut venere, accepta dona Domino suo gratulati, Deo gratias pro illis lætantes agebant.

Flovent jam equos instruere jubens, gladio suo Joviso se accinxit. Quo facto, Eremita stapedem ascendentis tenet, et, habenis postea manu admota, versoque Franciam versus equo, Deum hunc in modum invocavit : Summe Deus, omnium viventium Pater, juva et corrobora hunc virum, ut adversarios superet, profanos Ethnicos debellet, triumphatos vera religione instruat.

Cap. IV.

Flovent in Franciam hortatu Eremitæ pergens, in itinere castellum insignis cujusdam Latronis, nomine Fabrin, intrat, custodibus viæ in antecessum occisis. Demum signo crucis proditur, et in diversorio ferè opprimitur. Tandem tamen, multis hostium interfectis, salvus ex castello evasit.

Potestate abeundi ab Eremita concessa, Flovent cum stipatoribus suis

de eremo deorsum equitavit *(a)*. Cum duo circiter milliaria processisset, Otun quatuor *(b)* equites loricatos, petra quadam insistentes conspexit, quod et Floventi indicavit; dixitque : Hi ad nos tendunt, accelerantque, incursum nobis parantes : quid ergo consilii? (*p.* 19) Flovent ad opem Dei confugit : Deus, inquiens, cœlestis Pater eos debilitet, nostram vero virtutem corroboret. Loricam igitur, quam Eremita dederat, et arma indutus, clypeo capiti imposito, Jovisum lateri aptavit, et ita armatus, Magrimonem insiluit.

Eodem momento Ethnici a petra provolarunt, in quos Flovent vehementer irruens, in primum eorum infestam hastam ita emisit, ut per clypeum et loricatum pectus transiens, a tergo emineret : mox et alium Ethnicum stricto gladio petiit, cujus clypeum et ab humero corpus uno vulnere diffidit, ita ut in ephippio ictus exspiravit; ita ambo in terram delapsi, occubuere. Tum Flovent : Procede, Otun, et tenta, quæso, utrum artis quicquam bellicæ calleas? Odi, inquit, meticulosos mecum trahere homines. Tunc Otunus, subditis Budano, quo vehebatur, calcaribus, tertium Ethnicum evaginato gladio (qui olim Imperatoris fuit), per medium *(c)* fremebundus amputavit. Quo facto, Flovent : Videris, inquit, mihi fortis et animosus : ergo meus abhinc non famulus, sed socius eris, ita ut, quicquid sors attulerit, pariter nobis sit subeundum. Sed quid agis, amice Jofreire? Jofreirus ait : Parum ego inermis facere possum. Postremum igitur Flovent Ethnicum invadens, armatum (*p.* 20) cum equo unico ictu, eoque sanè horrendo, mirabiliter diffidit. *(d.)* Tum ille : Deus, inquit, tibi, o Eremita! rependat; quippe validum mihi gladium dedisti, quo si vir fortis et bellicosus utatur, egregia patrabit facinora, quæ serissima mirabitur posteritas; nec unquam Domini sui talis defraudabit gladius *(e)*. Deportata jam victoria Jofreirum *(f)* equitem creat, et fulgentibus armis instruit.

Deinde cum unum milliare processisssent, vidit Otunus castellum quoddam valde firmum, in convalle situm *(g)*, cui præerat magna cum hominum turba insignis quidam latro, nomine Fabrinus, qui transeun-

(a) D : multos dies laboriosè peregere. Quodam vero die aliquot illis Ethnici occurrunt, etc.

(b) F : quinque.

(c) A : licet loricatum.

(d) F *addit* : ita ut gladius capulo tenus in terram descenderit.

(e) Exemplaria A, F *habent* : quod unus (F : quintus) insidiatorum in vicinam sylvam aufugerit, qui eos postmodum in castello Fabrini prodiderat.

(f) Otunum, *rectius, ut puto.*

(g) D : juxta sylvam.

tes omnes depopulabatur. Tum Otun : Videsne, inquit, Domine Flovent, castellum, ubi nos prandendum censeo. Illuc itaque euntes domum quondam sibi diversorium elegerunt : at Jofreirus pecunia victum emit.

Verum Flovent suasionum Eremitæ negligentior, se et cibum signo crucis munivit. Id castellanorum quidam *(h)* conspicatus, Christianos esse cognovit, Fabrinumque repentè adiit : *(i)* Domine, inquiens, magnam hodiè accepisti ignominiam ; nam cu- (*p.* 21) -stodes tui et viarum omnium excubitores occisi sunt : huc enim tres Christiani equites advenere, arma nostratum (quod cognovi) portantes.

His dictis inconditum et trucem clamorem sustulere Ethnici, dicentes : Præstat subito arma capere, eosque trucidare. Fabrinus etiam equum et omnem armaturam sibi adferre mandat ; quod ut factum est, armatus equum ascendit, et ad diversorium Floventis cum centum male feriatis militibus perrexit.

Tunc Flovent magno strepitu extra domum audito, circumspiciens, armatam cohortem ad diversorium tendentem vidit : quamobrem arma et gladium Jovisum quam ocyssimè arripuit. Interim Fabrini milites in domum irruentes, vociferarunt : Jam, improbe homo, tua accelerat hora vitæ novissima. At Flovent : Permagno vobis constabit. Gladio igitur e vagina educto, Ethnici, qui proximè adstabat, caput galeatum et corpus triplici lorica munitum per medium diffidit. Ethnici hac nece commissa, cum cernerent, quod hic unus, inde alter, mox plures vulnerarentur, metu perculsi et suis viribus diffisi, foris dimicare satius duxerunt. Exeuntibus ergo pluribus Fabrini militibus, Flovent ejusque socii, dum se armis, et equos raptim instruerent, (*p.* 22) foribus pessulum obdiderunt.

Denuo Ethnici domum invadunt, non sine insigni contumelia inter se invicem objurgantes, quod tres viri tantum illis negotii facesserent : hac contentione frementes fores sine mora effringunt, Flovent autem domo cessit, equo vectus, cujus caput contra hostium ictus galea obtexit, alteraque manu gladium vibravit. Quisque qui proximus ei staret præsentem ominaturus esset mortem : nam ille insequentibus sociis strage adversariorum usque ad portam castelli, viam sibi paravit.

Tum inter Ethnicos inconditus clamor oriebatur, minitantes et imprecantes fabro gladii ejusque possessori iram Domini sui Mahometi,

(h) A et F : hospes eorum.

(i) F *addit* : Eodem momento currendo supervenit superstes excubitorum, clamans ad Fabrinum : Domine, magna hodiè, etc.

mortem et omnia mala ; et sic ad castellum pernice gradu se receperunt. Sed Flovent ad suos conversus : Evolemus hinc, inquit, ne majus nobis malum eveniat. Ad castelli igitur portam *(k)* properant, cui claustra et repagula validissima erant obducta. Hæc omnia Flovent ope gladii dissolvit, et ex castello sese corripit.

Cap. V.

Flovent Fabrinum insequentem vita privat ; Betheroni hospitio comiter excipitur. Angseum cognatum suum fugientem offendit, et in suum sodalitium recepit.

Fabrinus visa suorum strage Floventem primus omnium clamitans insequitur : Non juvat, vos perditissimi ho-(*p.* 23)-mines, inquit, fugam capessere. Ego enim omnes vos, utpote scelestissimos fures, suspendio mulctabo. Hæc quum maledicta Fabrinum sibi ingerentem Flovent audiret, reversus, equo in eum concitato, totum ad cingulum usque dissecavit *(a)* dicens : Perperam putavi, te tam magniloquum aliquid posse, sed erravi. Equum autem, ornato ephyppio stratum, et argenteo freno ornatum deprædatus socios sequitur. Sed Ethnici coryphæum suum interfectum invenientes, fatum illius lugubri clamore et barbaro ululatu deflebant. Flovent autem cum sociis lethalem Fabrini ejusque militum casum ludibrio habuit *(b)*.

Deinde toto die ac nocte insequenti iter fecerunt, nullas in casas, vicos aut urbes divertentes *(c)*. Circa vero primam vigiliam (*in textu* horam primam) ad urbem, nomine Betheron *(d)* pervenerunt, ubi ad civem quendam bene nummatum divertentes prandent. Tum Flovent ab suis precatus est, ut periculorum hesterno die certissimæ morti prælu-

(k) A : portam exteriorem, F : occidentalem.

(a) A et F *addunt* : et ibi cæsionem inhibuit, quia parcere voluit equo.

(b) A *addit* : quod et illi a tergo audierunt.

(c) A : Luna vero ad horam matutinam lucebat.

(d) Sic B et C, sed A : Bosant, D : Briegant, F : Bekrant, F : Besentum, *puto esse* Bisuntium (Besançon).

dentium memores religionem dissimularent : Indulgentiam autem, inquit, a misericordia Summi Numinis impetrabimus, etsi penates Ethnicorum et idola gestu solum veneremur.

Hospes iste erat perbenignus et moribus valde urbanus, qui aquam illis abluendi gratia, ex argenteis ampullis afferendam et ci-(*p.* 24)-bum deinde lautissimum proponendum curavit, adeo ut penuria nullius rei esset.

Pransos vero herus unde et qua iter suscepissent, interrogavit ; cui Flovent : Lubet nobis, inquit, Principi cuidam, viris virtute præneitentibus egenti, operam nostram commodare. Hospes : Salubre vobis consilium dabo : ite ad Florentem Regem Francorum : ille vestræ virtutis maximè indiget ; nam superbissimus Saxonum Rex Salatres ingenti exercitu Lutetiam Parisiorum obsidet. Flovent ait : eo certè commeamus. Delassati vero ad nocturnam quietem se receperunt.

Postero autem die mane expergefacti in delubrum ab hospite deducuntur : ibi preces ad verum Deum fuderunt, dissimulatâ tamen, cui dediti erant, religione, ne variis exponerentur periculis. Postea equis instructis, hospes illos in viam ducebat.

Deinde ex urbe per ardua et declivia loca in vastam quandam sylvam profecti sicut, quo ut ventum erat, de Legibus Mosis, Sapientia Salomonis, et admiranda Servatoris nostri incarnatione, discursum habuere.

Illorum colloquium juvenis quidam, saltuoso in loco latens, audit, eorumque opem per Deum quiritans implorat et inclamat : Nam ego, inquit, quatuordecim abhinc diebus ex carcere et durissimis vinculis elapsus herbis victitavi.

Tunc Flovent : Unde frater, et quare huc venisti ? — Domine, respondet, ego sum Wilhelmi *(e)* Regis filius, qui dominatum in ur-(*p.* 25)-bem opulentissimam, nomine Angem, olim habuit. Meministisne *(f)* ingentem illum exercitum, quem Franci Romam ducebant, quando Constantinus Imperator Christo nomen dederat. Tunc etiam illi multa regna virtutis suæ monimenta fecerunt, et Parente meo occiso, me captivum Comiti *(g)* cuidam mancipii instar vendiderunt, qui Muhameten venerari me coëgit, et instar mediastinorum tenebat. Exinde ego

(e) Sic. B et C : Milonis. D et E : Regis Romani. F : Milonis de Roma.

(f) A : Recordarisne magnæ illius expeditionis, quam Franci cum Burgundionibus susceperant, cum per montes Apenninos transirent, Regnum Romanum devastaturi.

(g) A : Comiti de Catharecto, F : de Catarecta.

elapsus custodia, fuga mihi consului, variis jactatus adversitatibus.

Ad quæ Flovent : Hæc antea audivi, et prout enarrasti, vera esse scio, propius accede, et me deosculare : nam tu meus es consanguineus *(h)* et nos patrueles sumus. Nostri sodalitati te applica, et equum quo antea vectus fuit Fabrinus Ethnicus, ascende. Ascendit equum qui eum mirificè decuit : iterum Flovent : Cedo nomen tuum ; at ille : Angsæis *(i)* nominor. Novus comes continuat discursum : Quomodo, inquiens, res cognatorum nostrorum succedunt. Flovent respondit *(k)* : Frater tuus, natu maximus, Philippus, Rex Anges, quatuor aliis urbibus præest ; minimus vero natu, prælapso vere eques creatus, multum apud Imperatorem valet.

(p. 26)

Cap. VI.

Flovent, dum iter insisteret, in quosdam venatores inopinato incidit, et quia cervum ab iis agitatum dejecisset, cum iratis manus conseruit. Accurrit eorum Dominus Joses, suis opem laturus. Quorum omnium victor Flovent tandem Lutetiam Parisiorum pervenit.

Illi ex sylva procedentes, vespera inumbrante, per amplam urbem, turribus excelsis tumentem, conspiciunt. Præfuit hac in urbe omnibus rebus comes quidam, qui Joses *(a)* Annosus vocatus, tunc temporis trecentesimum ætatis annum agebat.

Hic senex tantum laudandus est, in quantum admiranda virtus intelligi potest : sæpenumero in arenam descenderat, semperque victor redierat : hinc palmæ, quas deportaverat, talem omnibus horrorem in-

(h) A : Nam ego sum Cæsaris ex sorore filius. D et E : Ego sum filius patrui tui et sororis Imperatoris Constantini.

(i) Sic C et D. Sed A : Anseis, B : Angsæis, E et F : Ansæis.

(k) Sic habet exemplar B et C. Sed A ita : Flovent respondit pauperrimus eorum satis est beatus. Pater meus Ambo [forte Aubaneam (Aubagne)] illam potentem et tres alias magnas urbes regit. Sed frater tuus natu maximus in equitem electus est, vir multæ apud Cæsarem potentiæ. D et E : Pater meus Wilhelmus Ambi potentem et VII alias regit, sed frater meus proxime prælapsa hyeme eques creatus est.

(a) Sic charta. B C, sed A : Joseth. D E : Jose, F : Joseph.

cussere, ut nemo singularem pugnam cum illo committere sustineret.

Hoc die filius ejus cum quadraginta *(b)* equitibus, omnibus bene armatis, ab urbe venandi gratia profectus est. Eodem die in cervum quendam eximiæ magnitudinis egregiæque formæ incidebant, qui tamdiu illos fugiendo præcessit, donec ut ipsimet, et equi illorum longum emensi iter, defatigarentur. Lassus cervus demum venit qua Flovent cum suis iter fecere. Tunc Jofreirus dixit : Converte, Domine, oculos in cervum hunc, nobis occurrentem. Cui Flovent : Laus Deo! inquit, qui hoc animal *p.* 27 nobis misit. Additis deinde Magrimoni calcaribus, cervum insecutus, extemploque illum adeptus, in cervi sanguinem gladium suum intinxit. Deinde cervum haud secus ac optimus quispiam venator equo descendens exenteravit. Tunc ille accessit qui per totam diem cervum equitans insectabatur, exclamavitque : Fac cervum missum, nihil enim in venatione possides, nec ullam ejusdem partem habebis. Flovent dixit : Membrum unum vel amplius te mihi daturum spero. Ille vero respondit : Cruentas tuas lambe manus; apage nebulo, nemo enim tibi pejor erit. Flovent ad hæc : Tu vehementer in me insontem inveheris, non igitur non possum, quin acceptum tibi referam; et cum ingenti furore equum continuo ascendit. Ethnicumque gladio percussit, ut eodem momento inter lapides defunctus jaceret. Scutiferi autem illius hastis suis tres occiderunt; alios vero *(c)* Flovent ferro necavit. Tunc dixit Otunus *(d)* : Plus nimio stomacharis, Domine, Deus te custodiat! Postea in Ethnicos incurrentes exiguo tempore xx equites *(e)* et fidelium Josis è medio sustulerunt, sed reliqui *(f)* terga vertebant. Otunus vero dixit : Discedamus, et cervum relinquamus; sic etiam factum est.

Erat jam quidam *(g)* in altissimis muri speculis, qui illorum (*p.* 28) conflictum contemplatus citissimè descendit, exclamans : Ah me! Ah! Quantum detrimenti nobis intulerunt advenæ illi, qui filium tuum,

(b) Memb. A et F : decem; B C : XL.

(c) A B D E F *addunt :* tres.

(d) Sic B C D E : memb. vero A et F : hunc dixerant Otunus et Jofreirus.

(e) C ita, sed A : postea illi duos proceres Ethnicorum occidebant. Deinde primi unum quendam Ethnicum impetebant etc. D E F : prcruentes illi duos adhuc principes Ethnicorum ira perciti interfecerant : at Flovent primus suorum Ethnicum quendam summo cum ardore duas in partes dissecuit. F *addit :* deinde virum, qui superstes erat, occiderant.

(f) B *addit :* XX.

(g) Sic C et F, sed A et E : stabant nonnulli viri etc.

Jose occiderunt, aliosque promptos milites! Reliqui vero in urbem confugiunt.

Hisce delatis ad Josem rumoribus, ira excandescens, equitibus excitis, arma extemplo sumit, et ab urbe cum centum *(h)* armatis equitibus, eo, qua Flovent iter tendit, accelerat. Qui omnes ira dolori immixta inflammati, summo cursu contendebant, ut Flovent occurrere trepidaret.

Tunc Joses alta et horribili voce exclamavit : Pudeat vos fugæ, inquit, profligatissimi servi, et hostiles latrones : nihil vos fuga juvabit. Quas voces quum Flovent excepisset, taliter precatus est : Æterne Deus Pater, propter sanctos tuos conserva corpus meum : nos enim canes et Ethnici insequuntur, qui fortitudine et corporum magnitudine, perinde ac gigantes valent. Præstat, me judice, hic mori quam fugari.

Tunc Flovent collo ferocis equi retorto, reversus est, Josem petiturus. Hi duo acerrimi viri, hastis in pectora directis, statim concurrunt sibi invicem, quasi nunquam cessuri. Joses scutum Floventis transfixit usque ad loricam, quæ tantæ firmitudinis erat, ut hasta illam perforare non posset. Flovent misericordia Dei corroboratus immobilis adeo ephippio insidebat, ut nullibi moveretur, (*p.* 29) hastæ autem Josis manubrium factum est. Tum Flovent hastam in Josem emisit, cujus scutum et loricam penetravit, illæso tamen corpore et irrito eventu sub brachiis exivit.

Mox Flovent, gladio arrepto, tantum vulnus capiti Josi inflixit, ut in ephippio ictus exspiraret. At vero in Floventem centum equitibus, qui Josem sequebantur, irruentibus, in ancipiti atque prærupto discrimine cum sociis versabatur insignis ille coryphæus : ea tamen adiit pericula, e quibus servari se posse dubitaverat, et specimen stupendæ virtutis edidit. Quatuor homines cum centum *(i)* dimicabant et hoc prælio viriliter pugnando, hostes utrinque cædendo, se adeo fortiter gesserunt, ut xxx *(k)* Ethnicorum ibi spiritum efflarent. Ex hujus conflictus exitu constat illud verissimum esse : Non solus est, qui Dei nititur auxilio.

Cæterum Flovent sociique ejus, ex prælio defessi vulneratique discedentes, in Franciam perrexerunt, ibique per aliquot noctes hospitabantur. Flovent consilium iniit, quod Ducem itineris sibi coëmerent, qui eos per ignota loca Lutetiam Parisiorum clanculum deduceret. Dixit enim Saxones totam terram occupasse, eoque sibi cavere : se cum suis

(h et i) Sic B C, at A D E F: quadraginta.
(k) Sic B C, at A D E F: xv.

alios gladio hostium succubituros esse, antequam ad Franciæ Regem pervenirent.

Hoc facto Orlientem se conserunt *(l)* ibique pernoctarunt. Inde vero (*p.* 30) hora gallicinii discedunt, et postea *(m)* noctes atque dies, donec Lutetiam Parisiorum venerunt, profecti sunt.

Tunc temporis huic civitati insedit Francorum Rex Florent, quem in tantas rerum angustias Saxones compulerunt, ut in sua potestate, præter urbem, in Francia nihil haberet. Filiam sustulerat Florentiam, filium vero nullum.

Angsæis portæ adequitans aperire jubet. Janitor vero dixit : Duos menses hæc porta non fuit reserata, nec ullus Parisiis tam audax eques est, qui ad iter volantis hastæ ire ausus sit *(n)*. Flovent respondit : Frater, sumus pacifici, et vobis subsidio venimus. Tunc ostiarius, cornu ori admoto, ter tubavit, quo audito, nullam intrandi civitatem spem esse cognoverunt ; duo autem suburbia erant in vicinia ; quo se contulerunt, ibique pernoctarunt.

Cap. VII.

Flovens Regem Corsablinum monomachia debellat et magnificè devicit.

De Saxonibus jam loquamur. Salatres Rex Saxonum potentissimus innumerabilem fere exercitum in Fran-(*p.* 31)-cia habuit ; *(a)* ipse vero

(l) A : Ansæis dux itineris erat ut pote omnium per totam Franciam viarum gnarus.

(m) Sic B C D E sed A et F exoriente die Lutetiam Parisiorum venerunt.

(n) A D E F *addunt* : metu militum Regis Salatris, qui quatuor Reges secum adduxit coronatos; horum primus nomine Kosablinus [sic A, sed B F Korsablinus. D E Cossablinus]. Secundus Cabue [F Calive]. Tertius Falsardius [sic B E F, sed A Fastadus]. Quartus Konaber [sic F et A Konabert, B Conabes, D E Konabeck]. Hi omnes Marsabiliæ, cognomine Venustæ, amores ambiunt, quæ Archiregis Salatris est filia Horum quilibet quovis die urbem adequitat, nostros superbe provocantes; nos vero semper sumus inferiores. Cæterum Rex juravit, neminem suorum urbe exiturum, ante finem hujus mensis, qui Aprilis est Flovent ait : Amice, nos Regi opem feremus, mercede militaturi. Aperi modo portam, et tibi equum optimum donabo, etc.

(a) Addunt A D E : nullum erat castellum aut propugnaculum, quod non præsidiis firmasset.

hoc tempore Corbolii *(b)* erat. Castra ejus secuti sunt quatuor Reges coronati, quorum unus Corsablinus vocabatur, secundus Cabuus, tertius Falars *(c)*, quartus Conabes *(d)*. Hi Reges dotibus belli eminentissimis et nomine virtutis celeberrimi omnem movebant lapidem, ut in gratiam cum Marsibilia Venusta venirent *(e)*.

Jamque hi quatuor Reges cum equitibus ccIↃↃ.ccIↃↃ Lutetiam Parisiorum venerant *(f)* ibique castra metati, omnibus viis insidiabantur, ne ulla res, quæ usui esset, in civitatem inferretur.

Rex Corsablinus, virtute nulli secundus, prima luce cujusdam diei experrectus sese optime armavit, gladioque cinxit, qui illi ex India missus, Jambitus *(g)* dicebatur *(h)*.

Eodem die Regis filia vexillum illi miserat, hac conditione, ut aliquod egregium virtutis bellicæ documentum ederet. Vexillum quatuor clavulis aureis hastæ illius affixum erat. Postea equo vectus, urbem adequitat, ac in declivi quodam et aprico loco quieti se dedit, soli matutino vexillum obtendens.

Otunus (*p.* 32) jam expergefactus Regem armatum vidit : aurea enim Regis vestimenta et vexillum, solem adversus fulgentia, longè latèque eminus conspiciebantur.

Tunc Floventem accersivit, dixitque : Domine Flovent, qui securus dormit victoriam rarò consequitur. Vide Regem hunc superbissimum, qui se ad pugnam singularem offert : hic enim patentissimus laudis campus aperitur juveni, qui concinna armorum prolusione materiam splendori nominis prosternere avet. Hæc verba aures Floventis mirificè titillarunt, confestim igitur armis et lorica indutus Magrimonem conscendit, Regemque Corsablinum adiit.

(b) A : Kornis, *reliqua exemplaria* Corbuilla (sine dubio idem quod Corbeil).

(c,d) Sic exemplar chartaceum C.

(e) A D E F : qua post Christi nativitatem (afferente magistro Simone *addit* A) fœmina specie venustior, virtutibus et scientiis muliebribus ornatior, nata est nulla.

(f) Sic B C ; sed reliqua exemplaria numerum equitum reticent ; sed hæc addunt : Quatuor supra nominati Reges amnem (A D E *addunt* Sequanam) transgressi tentoria circa urbem figebant.

(g) Sic B C ; at reliqua exemplaria Jàrnbìtr (id est ferri seca) 1.

(h) A et F *addit :* Et iu equum egregium, pedibusque valentem ascendit, nomine Ararem (A : Aradem).

1. Gallice *Taillefer*.

Hoc tempore Florentia Francorum Regis *(i)* filia, et cum ea ingens virginum multitudo refrigerationis gratia in loca muri editiora ascendens, Corsablinum et Floventem vidit. Hæc Patrem alta voce clamans, quærit : Quis militum contra mandata ab urbe egressus, cum Corsablino congredi ausus fuerit ? Florent auditis his filiæ verbis tubicinem vocavit, et totam turbam in speculas muri evocari jussit. Quo facto omnes *(k)* monomachiam hanc spectaturi ad Regem, qui in speculis erat, accesserunt.

Flovent postea ad Corsablinum se convertit, qui in longi-(*p.* 33)-tudinem octo *(l)* ulnarum erat. Hi : Floventem interrogat : Quo tu juvenis, inquit, iturus es? quis te misit? an nuncius es? et tandem cur armatus ad me processisti ? Cui Flovent : Non scio me nuncium esse, sed eques sum, et tantum tibi damnum inferam, ut non amplius coram Marsibilia Venusta te efferas. Rex Corsablinus regessit : Te nimis jactantem et audacem adolescentem, etsi inermis essem, haud extimescerem, immò etsi mancus et monoculus essem. Jam vero ad Filiam Regis te deducam, ut pretium vexilli, quod ad me hesterna die misit, te captivo compensem.

Flovent iterum : Si tibi ipsi, inquit, a me cavere nolis, in tantum venies discrimen, quantum tibi prius promisi ; nec Regis filia te, totius urbis auro contra, uno osculo dignari vellet.

Corsablinus iratus equo calcaria addidit. Floventemque adortus, illius scutum transfigere non potuit ; hasta autem Floventis in scuto Corsablini confracta est. Strictis postea ensibus ambo strenuè pugnaverunt. Flovent vero optima armatura indutus, pertæsus longioris certaminis, divino invocato auxilio, galeam Regis, necnon quartam faciei partem, sinistramque, ut scutum illi excideret, ferro desecavit. Tunc Rex ad Floventem dixit : Accipe jam gladium meum : herbam enim porrigo, meque potestati tuæ commendo. Flovent igitur gladio captivi accepto, lora freni manu apprehendit ; nec tunc (*p.* 34) Rex loquacior fuit, quam fur in longissimam literam extendendus. Cives hæc omnia ex urbe prospectantes inter se dicebant, superbiam Corsablini jam sedatam esse. Postea Otunus et Jofreirus Floventi obviam occurrentes, interrogant : Quamdiu ducturus es hunc canem ? et quinam fuit vestri certaminis exi-

(i) Sic B C. Sed reliqua exemplaria : Hoc tempore, Francorum Regis (A) Floris D E F : Florentis) filia altissimas urbis turres conscendit (D *addit*) uti solita erat.

(k) A F : plusquam mille equitum.

(l) Ita B C E F, sed A : septem.

tus? Quibus respondens Flovent. Laus Deo! inquit, quoniam conflictus noster in faustum desivit exitum : nobis enim obtigit captivus, magno pretio redimendus. Accipite illum et custodite. Et plures id genus canes posthac habere vellem. Flovent etiam captivum jurejurando obstrinxit, quod quicquid haberet, potestati suæ committeret. Otunus eum custodiendum accepit.

Cap. VIII.

Rex Francorum laboranti Floventi succurrit, qui cum Saxonibus confligit, et Regem Cabuum prosternit.

Verum Ethnici exploratores habuerunt, ne Franci eos incautos opprimerent. Unus horum exploratorum utriusque gesta vidit. Hic confestim castra accurrens alta voce clamavit : Etsi societas nostra, inquit, nimis luctuosa sit, non tamen superbia caretis. Corsablinus socius noster dignitatem suam amisit; Francus enim quidam illius manum *(a)* gladio amputavit, et postea captum domum suam reduxit *(p.* 35).

Hoc tristi nuncio accepto Saxones extemplò classicum canunt, et viginti *(b)* millia equitum fulgenti armatura induti proruunt, tota circumquaque tremente terra *(c)*. Quum jam Flovent armorum strepitum et tubarum clangorem audiret, Deum precatus, quantum potuit, aufugit.

Rex vero Florent magnum exercitum Floventem persequentem conspicatus, milites exciebat, illosque arma sumere jussit *(d)* : jamque omnibus bene armatis, Floventi subsidio venturi, ab urbe egressi sunt, Rex vero ipse primus processit. Quos ut Flovent videret, suos adhortatus est : Boni socii, inquit, estote memores nostri periculi, quod spem revertendi non habeamus, et quam malum sit, semper alieno frui attendite. Vos igitur in hac pugna viriliter gerite, ut tandem aliquid laudis me-

(a) A et F *addunt :* sinistram.
(b) D *habet :* duo millia.
(c) A *addit :* dimidium milliare.
(d) A D *addunt :* momento ccıɔɔ equitum congregata. B D et E *ad hæc addunt :* quibus ccc [B : cccc] civium [F : sagittariorum, *rectius ut puto*] addita.

reamini. Quod ad me attinet, faciam ante discessum nostrum, ut Saxones et meum et hastæ meæ nomina sic cognoscant, ut nemo illorum inde exhilarari possit.

Flovent Corsablinum dimisit liberum, seque in Ethnicorum turbam avidè immisit, ubi in Regem Canabem incidens, scuti ejus quadrantem abscidit, ictu in femur usque deducto, ita ut Rex in terram devolutus, confestim occumberet *(e)*. Floventis vero socii Otunus et Jofreirus Domino suo succurrere haud morati, hic in Regem Falsarum, ille vero in Cabuum Robustum irruunt, qui ambo equis delapsi, in terram proni (*p.* 36) corruerunt. Flovent hæc videns, equum quem Canabas quondam possiderat, arripuit, arreptumque Jofreiro tradidit, quem cum Jofreirus ascendisset, se ipso jam vegetior factus sibi visus est. Angsæis Floventi hastam Corsablini tradidit, cui vexillum, quod Regis filia miserat, affixum est. Deinde Falsarum Regem adortus (cujus lorica corpori protegendo suffecit), tam forti ictu impetit, ut in terram procul equo prostratus, casside in humo insidente, multum antequam erigi posset, inquinaretur. Flovent autem equo illius arrepto, ad Otunum dixit : Mi socie, inquit, tuum ego delapsum, quem paulo ante passus es, ægerrime tuli, itaque hunc tibi trado equum, generosum et eximia equestri armatura decorum. Cum Otunus equum ascendisset *(f)* Franci extemplò accesserunt. Videre tum licuit strenuum militum concursum, permulta hastarum manubria confracta, et multos equites humi prostratos; ingens etiam tubarum clangor auditus est. Strinxit postea Flovent ensem, et in mediam Saxonum aciem immemor sui se immisit, in qua nemo, cui mors non immineret, illi occurrit.

Otunus et Jofreirus strenuè pugnantes antesignanum suum sequebantur. Saxones quamvis fortissimam ederent pugnam, Floventi tamen cedere coacti sunt : quicunque enim in illum occurrebat, statim cecidit. Multi funesta hac strage perterriti, fugam moli- (*p.* 37) -ebantur, ita ut magna aciei pars vacua esset. Francorum Rex Florens, illiusque milites strenuè pugnarunt, Flovent tamen eos bellica virtute conspicuus mille præcurrit parasangis. Tum Franci exclamant : insignes, Domine Mahomete *(g)*, viros hostium Saxonum superbiam depressuros nobis misisti *(h)*.

(e) A D E et F tacent de morte Regis.

(f) A *addit:* Jofreirus vero Bodvanum [F. Baudam] qui erat equus velocissimus conscendit; (de Canabis equo tacet) ad quos Franci opem laturi, etc.

(g) A *habet :* Terogant.

(h) E et F *addit :* et alii alios adhortati plusquam c. Saxonum proruentes dejecerunt, ita ut eorum acies inclinaret.

Cabuus Robustus *(i)* immensam suorum equitum cladem aspiciens *(k)* insidebat equo, nomine Vamento *(l)*, qui quatuor castellorum pretio coëmptus, volucrem velocitate prævertit. Huic Cabuus, ab armis bene paratus, calcaria subdidit, et in mediam Francorum aciem proruit, ubi valde iratus magnam fortium virorum stragem edidit. Hæc Cabui facta, quam primum Floventi nunciarentur, illuc accessit, etsi viribus valeret Flovent parem sibi aut fortiorem jam inveniebat.

(m) Adeo collisa sunt hæc duo capita et multum diuque colluctata. neuter tamen victor exstitit. Quod Ethnicus ægre ferens, Floventis galeæ summo nisu tantum inflexit ictum, ut certè mortem oppetiisset, nisi Dei benevolentia et galeæ durities obstitissent; nam animi deliquium fere passus est *(n)*. Tum in ephippium parumper procubuit, hunc in modum submissa voce precatus : Æterne Deus, totius clementiæ et misericordiæ Parens, qui tui amantes semper (*p.* 38) adjuvare soles, uti ego te ex sancta Maria virgine natum et Judæis auctoribus, suasoribusque passum, crucifixum et mortuum esse credo, ita etiam Domine, sancti tui nominis causa, hostibus libera corpus meum. His dictis ad se rediit, adeo vegetus et alacer, quasi nuper armatus prodiisset. Mox erecto corpore ephippio insidens, vim illatam vindicaturus Cabui primum galeam, deinde caput et integrum corpus loricatum, unà cum armis dissecuit, ut Cabuus equo in terram mortuus deflueret. At Jofreirus, equo apprehenso, ad Floventem dixit : Nobilem hunc equum. quem tua virtute adeptus es, da mihi, Domine; cui Flovent : Tuus erit, nam multi egregii equi, durante hoc bello, in nostram cedent possessionem.

(i) D E : Rex Kanabek.

(k) Loricam indutus, quam Rex Rudent, cognomine Robustus, quondam possederat, et gladio cinctus, quem Rex Burnement (F : Brumvent) possedit; nec non equo insidens, omnium animalium celerrimo (uti Magrimon) colore nigro, quem mercator quidam quatuor castellis emerat, etc.

(l) B : Aviment, D : Atrament.

(m) B : primum alter in alterum hastas contorsit, uterque equis delapsus, ambo denuo equos ascendunt, gladios impigrè stringentes.

(n) Ita B C, sed A : ut in anteriorem ephippii partem inclinaret precans etc. (Nihil enim de deliquio habet.) D E F *addit :* inclinato capite, ita ut parum abesset, quin animi deliquium pateretur.

Cap. IX.

Rex Francorum Floventem cum sociis Hermeti commendat. Saxones Corbolium fugiunt et archiregi tristem pugnæ eventum indicant. Unde ingens consternatio; et Corsablinus Floventi redemtionis pretium remittit.

Cum Ethnici Cabuum Robustum occisum cernerent, desperata victoria, horribili voce vicissim exclamant : Omnes fugam capessite, quippe non cum homine res agitur, cui Mahumetus irascatur. Itaque in fugam effusi, quorum optimus erat equus, celerrime se eripuit *(a)*. *(p. 39)* Verum Corsablinus Floventem adequitat, et taliter compellat : Dic, quanta pecunia me redimere vellis, et fac me liberum abire : fidem enim datam frangere nolo *(b)*. Cui Flovent : Tu cum promissa tam benè servaveris, generosam indolem in conspectum dedisti; vitam igitur tuam, quanto ipse voles, redimas, et hanc pecuniam ad me mittas. Sed sanum tibi consilium dabo, nimirum, ut tibi a conspectu Florentis Francorum Regis, caveas, ne tibi, eò quod tot illius milites occidisti, damnum inferat. His dictis Rex Corsablinus discedit.

Rex Francorum Florens prædam collegit, quæ in armis, vestimentis et multis aliis rebus pretiosis constabat. Postea Floventem accersit, dixitque : Summas tibi, mi Flovent, pro hac victoria gratias ago, habeo, et si possum refero. Nunc igitur totam hanc prædam pro lubitu accipe, in posterum vero, si nobis subsidio esse velis, præmia feres majora. Ad quæ Flovent : Dominus Muhametes, inquit, pro tua humanitate gratias tibi, Rex serenissime, referat *(c)*; verum cum stemmati meo semper sordent aurum et argentum; tui milites pro more solito prædam dividant. Quod cum Galli audirent : Vir ille bonus est, dixerunt, et certe regia stirpe oriundus *(d)* : tu Rex igitur beneficia quam

(a) A D E : Francos secuta est victoria, et præda supra M. marcas auri, cum cccc equitibus, qui se postmodum redimerent.

(b) A : Si mihi non credideris, vincula non recuso, donec pecuniam solvero. Flovent : tu sine dubio vir es magnæ integritatis et constantiæ, quod tam bene promissa tua et juramenta servaveris. At ego, ut aufugias, tibi suadeo, ne te Francorum Rex opprimat, etc.

(c) A D : non adeo avarus sum, ut solus hanc pecuniam mihi summere velim.

(d) A : cum ipse indigus pecuniæ adeo sit largus et generosus.

plurima in eum con-(p. 40)-feras, ne a nobis desiscat, et ad castra hostium transcurrat, quia quamdiu nobiscum est militaturus, Saxones non formidabimus.

Rex deinde Floventem interrogat, cujas aut quinam esset, et quo nomine gaudeat ? Flovent se gente Hispanum professus est *(e)* et fama hujus belli excitatum ad operam suam Regi locandam advenisse, quam et tibi, inquit, jam defero. Rex benigno animo, experrecta fronte se illum et excepturum et magnis honoribus mactaturum affirmat. Galli Floventis virtutem bellicam collaudantes [1] in urbem redeunt. Postea Rex hospitem quendam, nomine Hermetem, qui omnium civium longè ditissimus erat, ad se vocatum sic affatur. Hunc equitem, illiusque commilitones tuæ curæ committo, teque obtestor, ne ullo, quod necesse habent, careant. Hermet respondit : Licet multo plures *(f)* essent, necessaria vitæ alimenta, quæ tres noctes *(g)* illis sufficiant, me habere existimo. At qui hanc Historiam composuit, Magister Simon, arbitratus est Hermeti pecuniam non defuisse, et si Flovent cum *(h)* multis millibus trienno apud eundem hospitatus fuisset : illi enim pecuniam ultra viginti mulorum onera fuisse existimat. Jamque Flovent cum Hermete ad Hospitium suum rediit, et post tot labores exhaustos, quieti se dedit.

Ad Saxones, qui fugam capesserunt, revertamur. Hi (p. 41) cum ad castra venirent, ignem illis immittebant. Scutiferi autem onera equis imposuerunt, Corbolium quam celerrimè poterant profecti. Rex Salatres latrunculis ludebat, filius autem illius in speculas muri ascenderat, unde Regum milites conspicatus, confestim ad Patrem descendit, illumque interrogat : Nunciosne, inquit, mi Pater, ad Reges tuos misisti ? quorum curæ urbis Lutetiæ Parisiorum portæ commissæ sunt, ne hostes tui vinum aut commeatum adipiscerentur. Video enim hos venientes : ideo Parisiensibus prius auxilium veniet, quam nos obstare poterimus; quod si fiat, nova imminent discrimina. Rex se illos revocasse pernegat. Filius iterum : Attamen eos jam modò videbis. Eodem ferè momento Rex Falsarus, et cum illo decem equites urbem intrabant *(i)* quibus Archirex assurgens : Quid novi, quærit, boni viri ? ne me celetis, et quam ob causam equis desudantibus ipsi cruenti et vul-

1. Codex : *collaudentes*.

(e) A F : et a Califa [F : Califver] Rege in exilium ejectum.

(f) D : Cum mille equitibus.

(g) A D : annos.

(h) D : cum MMM. equitum.

(i) A et D : et paulò post duo hi Reges urbem intrarunt.

nerati adeo properastis? Falsarus scenam totius rei, uti acta erat, enarravit. Quibus auditis, Archirex adeo excanduit, ut vix esset mentis compos, dixitque : Domine Mahomete *(k)*, num mihi usque vitam indulgebis, donec ultionem tanti excidii hoc a viro petiero? Falsarus respondit : Manus cum præstantissimo hoc juvene conserere tibi datum est; conflictum enim libenter desiderat, sed, me haruspice, tibi sinistro omine cedet.

Archirex quærit unde iste sit? Falsarus autem, illud se nescire dixit. Hic vero diutius bellare, inquit, nolumus, nisi *(p. 42)* nos omnes ad unum perditum iri maluerimus. Tunc filius Archiregis *(l)* : Nunquam graviorem infamiam novi, quam unum conductitium militem adeo extimescere, nec talis formido diademati tuo addit ornamentum, sed potius te Regis nomine inferiorem reddit. Tum illi succensuit Falsarus et respondit : Licet vos, inquit, decem fueritis, omnes perinde ac tu superbè loquentes, armisque pro arbitrio instructi; miles vero ille conductitius, unico tantum comite stipatus, occurrereret, ne quidem unum aut alterum ejusdem ictum sustinueris, sed instar febricantis cohorrens, malles, vel toto tuo aureo thesauro, congressum vestrum nunquam factum fuisse.

Hæc verba Regis filio sic bilem moverunt, ut accurrens verbera ei intentaret. Quod cum Archirex videret, dixit : Nisi contentione vestra abstiteritis, pessimum, me hercle, finem habebit. Huic illorum sermoni Rex Corsablinus intervenit, quem, sanguinis profluvio deliquium animi patientem, Archirex ipse erigebat : omnes vero Ethnici contristabantur. Hic animo recepto, ab Archirege interrogatur : Quomodo e manibus pessimi illius viri te eripuisti, qui nobis tantum detrimenti attulit? Rex Corsablinus utriusque mutua gesta exposuit. Posteà Regis filius dixit : Nunquam, medius fidius, tales proditores invenientur, quales vos duo Reges, qui ambo unum virum magnis laudibus effertis, tanto scilicet pavore perculsi, ut ne quidem *(p. 43)* conspectum ejus ferre potueritis. Ad quæ Corsablinus : ita me Mahumetes servet, ni saucius essem, hæc tua verba ulciscerer, quibus me in conspectu Domini mei proditionis arguis. Hæc dicentibus supervenit Marsibilla, Archiregis filia, Regiamque intravit, induta pallio aureo et tunica ex panni genere, quod Culatum *(m)* dixerunt. Hac virgine post passionem Domini nostri venustiorem fœminam nullam fuisse, fama vulgaverat; et certè vir

(k) Addit F : Terogant, Apollo et Jupiter.
(l) A : Corduban.
(m) B : Culade.

quidam, qui illam coram viderat, non dubitavit affirmare, corpus illius quendam fulgorem emisisse, perinde ac sol radios. Oculos vero stellis similiores, quam humanis luminibus, capillosque aurei coloris fuisse. Rex filiæ suæ salutans assurrexit, eique damnum, quod miles conductitius sibi intulerat, exposuit *(n)*; illa vero respondit : Hæc, Pater optime, satis superque vindicabis : nam frater meus Corduban adest, cui armato si occurrerit, non amplius viros tuos egregios vulnerabit *(o)*.

Deinde Corsablinus ad Regem venerabundus processit, ab eo humillime precatus, ut ad redimendum caput suum sibi pecunias concedere vellet; Rex autem petenti æquale auri pondus, et multas alias pretiosas res dedit. Cœterum Rex Corsablinus promissa servaturus cognatum suum Gamelfinnum et decem alios viros cum tribus caballis auro, argento (*p*. 44) aliisque rebus magni pretii, oneratis ad Floventem misit, qui omnes recta Lutetiam Parisiorum profecti, ramum olivæ præ se ferebant. Deinde urbem ingressi, ubi Floventis hospitium sit disquirunt, quod cum reperirent, ad illum introeunt. Ingressus vero Gamelfinnus Floventem his verbis compellat : Pessime vir Flovent, inquit, parum tibi amoris debeo, quoniam avunculum meum hæreditate sua spoliasti, qui tamen ut fidem suam liberet, has ad te pecunias mittit. Flovent : Illi sit sua fides, hanc enim recuso. Tres tamen res pretiosissimas, quascunque ipse tibi elegeris, accipias, una quoque cuique tuorum comitum erit. Gamelfinnus respondet : Ita me Deus juvet, nemo nostrum quicquam a te pecuniæ desiderat : retine tibi, quia pauper mendicus es. At Flovent : Nisi legatus esses, pœnam cavillationis tuæ capite persolveres : tua tamen convicia alio tempore recordabimur. His dictis discedunt, Flovent vero hanc pecuniam pro arbitrio disposuit, cujus magnam partem Hermeti hospiti suo concessit.

(n) A : Corsablinum manu et Cabuum vita privasse, etc.

(o) A D E *addunt* : At tibi Pater consilium dabo : mitte litteras ad filios tuos Emenium [D : Gindinium ; E : Ginemum] et Isaach, qui Normanniam expugnarunt. Voca illos Lutetiam Parisiorum, ut conjunctis viribus rem geratis. Deinde dolis, stratagematibus et catapultis ignem urbi immitas; ac arietibus lapideum parietem, quo urbs est circumdata diffringas ; tuamque hoc modo vim et potentiam hostibus tuis ostende, qui tunc tandem, licet inviti, victas dabunt manus. Hoc consilium cunctis complacuit, ideoque Rex nuncios ad filios ex tempore misit.

Cap. X.

Rex Francorum summas Floventi honores, regiones aliquot et milites donando, exhibet.

Rex Francorum Florens legatos ad Proceros suos et magnates mittit, quos omnes in unum congregatos, Rex tali modo allocutus : Consilia vestra, inquit, Amici mei, expeto : Hunc equitem, bello penè invictum, quem ad nos accessisse nemi-(*p.* 45)-nem fugit, insignibus honorum ornare ex promisso decrevi, id si voluntati vestræ consentaneum sit, promisso statim satisfaciam. Regi responderunt Purpurati : Voluntas nostra est, ut fidem tuam tanti nominis viro serves; sin aliter feceris, voluntati nostræ adversaris, cujus te in posterum vel maxime pœnitebit. His dictis Rex ad Floventem Sambathum et Espanuelem (*a*) amandavit, qui eum nomine Regis comiter benigneque salutarunt, rogaturi, ut ad Regem, promissis suis satisfacturum, accedere vellet. Tunc Flovent largitatem suam ostensurus, Cæsarem Constantinum, cognatum suum, indole repræsentavit. Nam cuique illorum byssina vestimenta et chlamydem dedit (*b*) dixitque : Ite et Regi vestro me sine mora adventurum nuntiate. Hosce redeuntes, ubi Flovent esset, Rex interrogat, aut quis tam pretiosis vos vestibus donabit? illi Floventem confestim venire, atque talibus se ornasse vestibus dixerunt. Quod ubi cœteris civibus innotuit, nunquam Floventi comparem illuc virum advenisse proclamavit, et nobili loco natum esse factis suis semper comprobare (*c*).

Hermet erat bene pecuniosus, honestus et elegans, qui Floventem sic alloquitur : Ad te, inquit, amice, legatos hodiè Rex noster misit, qui et multos et bonos viros, pretiosis decoratos vestibus, hodiè secum habet, itaque unusquisque sannis sibiloque exponitur, qui sordidis indutus vestimentis ibi (*p.* 46) apparet, quod ægrè ferrem, si tibi eveniret; in conclave igitur meum mecum ascende. Quo cum venirent, vestibus eum exuebat, quippe quæ hastis undique erant perforatæ et laceratæ. Deinde Hermet

(*a*) B : Sinabat; D : Sinabel et Assabel; F : Finabel et Espanael.

(*b*) F *addit :* et xx pondo argenti.

(*c*) A : suadentque Regi ut filiam suam illi nuptui dare velit, quia neminem præstantiorem maritum dari posse, qui eam uxorem fore ducat.

et Floventem tunica *(d)* byssina induit, cui insertum erat spinter aureum miri operis, quatuor digitos latum. Tunica nitebat fulgentibus distincta gemmis, nempe lucido crystallo, smaragdo, berillo et jaspide; hi lapides circa collum affixi erant. Exinde vero smaragdus, calcedonius, chrysolytus, usque ad baltheum, internitebant : manicis vero topasius, chrysoprasus, hyacinthus, amethystus affixi sunt : hæ erant tunicæ ornamenta.

Postea Hermetus pallio illum induit, quod a fure quodam, qui illud Archiregi Salatri subduxerat, mille auri marcarum pretio emerat. Suffultum vero pallii, nemo quale esset, cognovit *(e)*. Erat enim colore aureo, auro intextum, aspectu cæruleum, rubrum et subfuscum, tactuque ad instar pellium. Pallii vero ligamina variis animalium et avium simulacris depicta erant. Postea mulum, decem aureis marcis coëmptum, adduxit, quo Flovent vectus aulæ adequitavit, Hermeto et centum aliis equitibus comitantibus.

Flovent aulam ingressus, Regem ita salutat : Dominus Machumetus, omnium rerum moderator, tibi benedicat, et te tuosque omnes custodiat. Sella deinde eburnea, serica veste obducta, ante Regem collocata est, cui Flovent insidet, Hermete hospite ad sinistram (*p.* 47), Otuno autem et Jofreiro ad pedes assidentibus *(f)*.

Franci Floventem prospectantes, formositatem, qua prænitebat, incredibili quantum admirati, dixerunt : In hoc viro fortitudinem æquat formositas, et sane Rex ipse quasi gregarius quidam civis respectu hujus purpurati videtur. Eodem fere momento, quo hæc geruntur, filia Regis, a duobus comitibus ducta, aulam intravit, qua affabilitate, qua venustate commendabilis. Hæc ad solium Patris sedem occupat, quæ

(d) A : Tunicam ex eo byssi genere, quæ Clesis vocatur; [D : tunicam pretiosissimi panni quæ Cleshil dicta fuit; F : tunicam pretiosissimi panni, albis pallibus suffultam]; collum autem cinxit spinter (vel lamina) ex multis marcis auri constans, cujus limbus manus fere latitudinem æquans, miro erat artificio fabrefactus. Cui insitæ erant XII nobilissimæ gemmæ primariæ, nimirum crystallus, smaragdus [F *addit:* jaspis, amethystus] circa collum et usque ad fibulas fulgebant : deinde sapphyrus, calcedonius [F. carbunculus], sardonyx, chrysolitus, usque ad cingulum sparsæ. Topasius, chrysoprasus, jacinthus, ametystus [F : berillus] hæ per manicas dispositæ sunt. Porro addit Mag. Simon : quicunque has gemmas primarias esse negaverit, Johannem Apostolum mendacii arguit.

(e) A D F : Plurimi vero rati sunt, plumam esse ignotæ alicujus avis, quia aspectu erat sicut pluma, et tactu sicut pellis.

(f) D *addit :* tunc omnis generis symphonia, et tubarum cantus consurgebat.

quam primum Floventem conspiceret, obstupescens mox expalluit, tacitoque pectore suspirans secum ita loquitur : O! quater et quoties, bone Mahumetes, non est numeranda virginum illa, cui vir talis conjux contigit. Rex filiam suam ita pallescentem intuens, quærit : ubi tuus pristinus nitor, quo os tuum decoravit natura? aut cur repentino adeo pallore suffunderis. Illa respondit : quia, carissime Parens *(g)* vehementer febricito ; et ex tempore lectum petiit.

Interim milites Floventem, animique et corporis dona (*p.* 48) quibus illuxit certatim et quasi tumultuosè collaudant.

Rex indicto silentio, Floventem hunc in modum allocutus : Nunc te, inquit, Flovent honoribus, quos tibi antea recepi, mactabo ; tu meus signifer eris, et insuper tibi M equites et Corbolium, quam Saxones jam incolunt *(h)*, omniaque circumjacentia regna cis amnem quæ Frandenis vocatur, dono trado. Præterea annulum suum aureum ei dedit, cui lapis quidam insitus erat ; ejus gemmæ vis mirabilis adeo erat, ut si quis annulum in ore teneret, licet gestator in summa hominum frequentia constitutus esset, a nemine tamen conspici posset, nisi ipse vellet.

Flovent dein surgens, Regi quam maximas pro tantis beneficiis egit gratias. Inde equites fere omnes concurrentes, Floventem antesignanum eligunt, adeo ut numerus eorum factus sit millesimus sexcentesimus *(i)* [1]. Quo Rex viso, in hæc verba erupit : Ecquis tot unquam insignium virorum coronam viderit? quorum quidem neminem demam *(k)*.

Eodem die convivium Rex celebravit, ad quod omnes aulicos suos invitavit, postea venia a Rege impetrata (*p.* 49) Flovent ac Hermet domum redeunt. Deinde Flovent ad Hermetem dixit : Vellem arma et vestimenta, queis meos donare possum, coëmas. Quo facto Flovent postero die omnes viros suos convivio opiparo adhibitos, armis, vestimentis, aliisque magnificis instruxit muneribus : Novistis, inquiens, in Saxonum potestate esse nobis a Rege concessam urbem, quam occupare nobis non datum est, nisi periculum in antecessum subeamus. Comparate igi-

1. Litterula *(i)* in textu deest.

(g) F : Eques hic advena illius causa est, at Rex illam gremio suo imposuit.

(h) Sic B et C ; sed A : his addo Regnum Varmundi [D : Varundis, forte idem quod ager Veromanduensis (Vermandois)] usque ad amnem, quæ dicitur Flandres. [F : Vermds usque ad Flandres (D : Frandis)] quæ omnia justo jure possidebis, hac tamen conditione interposita, ut Saxones removeas.

(i) Sic C et B, sed A : MCC. D : MD.

(k) D F : Hi omnes per Deos Machumet et Terogant jurarunt, se Floventem nunquam deserturos.

tur in crastinum omnes ad horam primam, qui me subsequi velitis, armati. Omnes autem asseveranter affirmabant se lubenter, quocunque duceret, subsecuturos.

Cap. XI.

Pugna inter Francos et Saxones.

Flovent, sub ortum solis, mille et sexcentis *(a)* equitibus stipatus, iisque omnibus ad pugnam bene instructis recta a Lutetia Parisiorum Corbolium tendit. Floventem vero ante reditum aliquantum horrere ad veritatem pronius est *(b)*.

Deus autem, qui ardente fornace tres pueros, Sosannam falso seniorum crimine, nec non Danielem fovea leonum liberavit, Floventem hac in expeditione incolumem conservet, ne acie cadat, aut herbam porrigat.

Archiregis filius Corbuan *(c)* mane expergiscens, equites arma capessere et subsequi jubet, et sine mora decem equitum millia *(d)* Corbulio proficiscuntur. Longa emensi itinera *(e)* *(p. 50)* copias sibi occurrentes conspiciunt. Huc, inquit, filius Regis, tendit Francorum exercitus, hic quoque subsistemus, nam prælium est in cervicibus. Itaque tres equites alacriores ad Patrem reverti, eique hæc denuntiare jussit ; nos interim, inquit, hic commorantes, aciem instruemus, Francos excepturi. Flovent, Saxonum exercitu cominus perspecto, suos adhortatur : Primo, inquit, impetu vos pugnando præstate acerrimos : cavete ne disjungamini : hostem gregatim invadite.

Confirmatis ab utraque parte militum animis, ad arma discurritur, et multum sanguinis effunditur.

Primo Flovent principem quendam loricatum dissecuit *(f)*, verum Otun

(a) Sic B et C ; sed A : MCC. et D F : MD.
(b) D : Flovent hunc in modum precatus est. F adicit Mag. Simon.
(c) Cordaban. C D F : Corduban.
(d) Sic B et C ; sed A D F : MM.
(e) F : unum milliare.
(f) F : nomine Fanue.

et Jofreir duos principes interfecere. Franci etiam se suaque apprimè defendentes in primo concursu trecenta *(g)* Saxonum obtruncarunt. Corbuan, conspecta suorum strage valdè iratus, celeri equo *(h)* insidens, unum Francorum, ferro perfossum, in terram dejecit; cujus frater necem hanc aspiciens, frustra Corbuanem hasta sauciare tentavit. Armatura enim ejus omnia tela respuebat : mox et idem hasta Corbuanis trajectus *(i)* exspiravit. Quo facto Corbuan ingenti clamore vociferatur : Stragem nostrorum vindicabimus. Tum Saxones alacriores facti, uno fere momento triginta *(k)* Francorum trucidarunt. At Flovent mortem *(p. 51)* suorum ulturus, subditis calcaribus in Saxonum aciem acri impetu involans, ad utrumque latus verbera et plagas ingessit, adeo ut quisque qui hæc cerneret Floventem antesignani fortissimi vicibus fungi omni asseveratione affirmaret. Illo impetu Franci centum Saxonum vita orbarunt. Corbuan visa ingenti strage, quam Flovent ederet *(l)*, Gallorum quendam præfectum duas in partes dissecuit, his additis verbis : Ne timeatis, inquit, Mahumetes illis irascatur. Hæc elocutus decem *(m)* equites morte affecit. Franci hæc conspicientes, Corbuanemque timentes Floventis auxilium implorant, qui illico accurrit, cum eo dimicaturus *(n)*.

(g) Sic B C ; sed A D et F : centum.

(h) F: colore luteo vel subflavo.

(i) A D et F : et longe ab equo projectus, in saxum quoddam incidit, quod ei cum vita cervicem effregit.

(k) Sic B et C ; at A D F : xx ; cœterum vide lit. *(n.)*

(l) F : hastam suam in equitis cujusdam de Normandia pectore intinxit, ictu per scutum et loricam adacto.

(m) A D F : unum quendam equitem Gallum.

(n) Exemplaria membranacea A et F et charta. D hæc a litera (k) usque ad literam (n) aliter tradunt, quibusdam additis, et nonnullis paulo invariatis : Flovent his visis, valde commotus suos cohortatus est : Ulciscamur, inquit, mortem nostrorum. Tum multæ galeæ et loricæ diffisæ et disruptæ sunt [F : quæ cui aspicere licuerit, stuporem profecto incussissent, inquit Mag. Simon]. Tum Flovent Ethnicum quendam galea et lorica munitum in duas partes gladio divisit, quo viso Saxones collocuti : hic est ille, de quo Reges nostri querebantur. Macon super illum iram effundat suam, quia nemo illi occurrens vitam retinebit. In hoc prælio (ut memoriæ proditum est), tremendi ictu et plagæ neutiquam defuere. Saxones enim supra ccc. occubuere, multique ad mortem vulnerati. Verum Flovent, districtum ensem Jovisem quassavit, cunctis obviis morte timendum. Hic hostes irruens, cæsim et punctim, quemcunque etsi loricatum, vulnerat, neminique adeo forti occurrit, ut cum eo pugnare ausus fuerit. Parvo temporis puncto solus c. Saxones obtruncavit. Jamque Regis filius hanc stragem cum vidisset, suos incitans, Francis parcere vetat; ipse vero pugnam acerrimè ciens, gladium suum, in pectore cujusdam occurrentis Franci tepefacit [F *addit*, ut in

Corbuan qui probè illum cognovit, scutum habuit, quod pellibus ad extra, ossibus autem elephantinis ad intra obductum (p. 52) conglutinatumque, marmoris duritiem superavit. Hic scutum quantum potuit, brachio extenso, tenebat, Floventis ferrum succutire conatus; gladius autem nec frangi nec removeri potuit, quia scutum et loricam ab axilla deorsum, corpore tamen illæso, dilaniavit; quod cum Corduban perciperet, in hæc verba erumpit : Vir incomparabilis est, et si diutius morer, moriar. Tum Corbuan illico omnesque Saxones, timore perculsi, fuga salutem petebant (o).

Cap. XII.

Continuatur bellum inter Francos et Saxones.

Jam ad Archiregem, cursoresque hæc ei indicantes, revertamur. Qui his auditis, speculam ascendit, prospexitque filium a viro quodam persecutum et ferè jam captum summo in discrimine versari, exercitumque in fugam se penetrare. Rex omni festinatione properans classicum canere, equites arma capessere, hostilique exercitui occurrere jubet; ipse vero armaturæ negligens, inermis equum (a) ascendit, eumque decem (b) equites singulari robore sequebantur. Exercitus autem tantisper dum arma caperet, remansit; at fugiens Corbuan Floventem strenuè insectantem, et jamjam (p. 53) appropinquantem respexit, majori metu percul-

terra vulnus terminaretur. Quo viso Franci sibi timentes, Floventis opem implorant]. Franci Apollinem auxilio invocant. At Flovent suos Regis filium metuere sentiens, illico advolat, et gladium vibrat, vulnus ei intentaturus. Quem quamprimum Regis filius conspexit, probè cognovit [F *addit :* dixitque : cur nebulo viros meos necasti? his Flovent irritatus, se ulcisci voluit.]

(o) A D F *addunt :* Franci fugientes insecuti sunt, et multos, ut se postea redimerent, captivarunt. Sed Flovent spoliationibus abstinuit, ne se morarentur (neque enim mortuos aut saucios denudare voluit). Sed Saxonum coryphæum tam veloci cursu persequitur, ut comitari nequiret militum nemo [F *addit* : nec tamen assecutus est].

(a) F : equum suum, colore fulvum, nomine Bodran.

(b) F : mille equitibus.

sus. Sed huic malo aliud superadditur : nam equus ejus in foveas, per quas incautæ feræ currebant, incidit. Tum Flovent tuberculum galeæ, nasum operiens, arripuit gladiumque vibravit, subitaneam mortem ipsi intentaturus. Verum Corbuan morti vicinus : Per Mahumetem, inquit, te mihi parcere submissè precor, devictus æquale mihi pondus *(c)* auri purgati tibi donabo.

Otunus et Jofreir Corbuanum custodiendum vix acceperant, domum reversuri, cum Archirex superveniret, efferata voce clamans : Quo vos illum ducturi estis? Ego filium liberabo, vos autem omnes morte ignobili moriemini. Flovent his auditis ira accensus, gradum sistit; reversusque mox pugnam cum Rege iniit, et clypeo diffiso grave vulnus lacerto inflixit, ita ut Archirex de equo, clypeo Floventis detrusus, præcipitaretur. Sed eodem momento *(d)* Floventis equus in profundam foveam delabitur, ille vero continuo in pedes se conjecit, una gladium Joviso, altera manu scutum tenens.

Equus ex fovea exsili-(*p.* 54)-ens, dominum suum non exspectavit, sed ad urbis portam, de qua manè exierant, recurrit, qui cum non intrare posset, adeo vehementem hinnitum edidit, ut per totam ferè urbem audiretur. Fortè Rex Florent, et quindecim cum eo millia *(e)* equitum ex specula prospectantes, equum Floventis cognoscunt. Rex tristior factus : Male nunc res successit, inquit, cum equum Floventis errantem videam, unde dominum ejus aut mortuum, aut captum esse certissimè colligo. Quod si discessum ejus resciveram, mille et quingentos *(f)* equites ei tradidissem. His dictis equum inducendum curavit, et sudorem pallio suo abstersit. Summo, inquit, tanti viri desiderio afficior: virum huic heroi æqualem, vix nostra secula cognoscunt; qui si vixisset, superbiam Saxonum profecto infregisset. Multi animo augebantur *(g)*: maximè tamen omnium Hermetus et Ansæis, Floventis cognatus, hunc casum doluerunt. Verum his rumoribus ad Regis filiam perlatis, abscissa veste, crinibus laceratis, et ingenti gemitu ejulavit, subindè clamans : Ach me miseram! Diem obiit supremum vir, quem plus quam vitam meam amavi, et protinus lecto affixa, specimen luctus ingentis, omne solatium aspernata, edidit. Quam suo mœrori immersam mittamus; sed ad Floventem, equo destitutum, magnisque periculis cinctum redeamus.

(c) Sic B et C. Sed A D et F : centum pondo auri. Pater meus hæc rata habebit. Et statim Floventi victas dedit manus, ensemque tradidit.

(d) F : cum Flovent eum manibus capere vellet.

(e) Sic B et D, sed C : M., A : XII, F : MCC.

(f) Sic B C D, sed A : CCIↃↃ equitum, F : CCIↃC. IↃↃ.

(g) F : inquit Mag. Simon.

(*p.* 55) Saxones equum Archiregi festini tradidere : quo facto, suos alloquitur : Prehendite hunc projectæ audaciæ virum *(h)*, et suspendio, quasi hominem trium literarum, mulctate, ut hac ratione viros ejus in mœrorem conjiciamus : cui respondent; pro virili adnitemur *(i)*. Flovent in saxo quodam pedes dimicuit, et omnibus simul hostibus acri impetu adorientibus, ingentem vim telorum clypeo excipiens, optimè se defendit ; multos enim saucios et nonnullos mortuos reliquit, haud secus ac Leo famelicus canes dilacerat et dissipat, nec eum sui juris facere potuerunt. Deinde quatuor Ethnicorum principes, roboris sui animosi, equis descendebant, ut Floventem vivum deprehenderent, at summum vitæ periculum ipsi adiere. Otun et Jofreir demum subsidio veniunt, sed cum dimissione Archiregis filii. Jofreirus equum suum Floventi adduxit, quem e vestigio ascendit, et *(l)* summum quendam Saxonum præfectum vita devolvit, cujus equum traditum sibi Jofreir ascendit.

Dum hæc geruntur, viginti Saxonum millia Corbolio accurrunt, quorum antesignani duo erant præfecti Gamelfinnus et Tenebet *(m)*. Hi ambo simul Otunem impetentes, equo deturbant (nec id mirum fuit) qui tamen se undique circumfusum egregiè tuebatur, donec quin-(*p.* 56)-quaginta *(n)* equites duos istos adjuvantes, Otunum captum ad suos recipiunt. Quod ubi Flovent conspexit, celerrimè accurrens, gladium impigrè stringit, et quindecim *(o)* equites, mirum in modum, uno ictu confecit. Acies vero tam pressè composita, tamque densa erat, ut eam perturbare nequiret, unde et reverti coactus est. Jofreir eum sequebatur, Otun captus remansit.

Franci hoc čertamine Floventem fœdè deseruerant ; nam complures eorum manubiarum avidi, in valle, quo prius prælium cum Archiregis filio commissum erat, cunctabantur, prædam facturi. Flovent ad suos reversurus, multitudinem Saxonum sibi instantem, et si fugeret, non extimuit : nam subindè reversus, multos *(p)* eorum profligavit.

Demum Gamelfinnus Saxonum præfectus, gradum promovens, incondita voce clamavit : Miles, inquit, conductitie, si audes, gradum siste ;

(h) A D F : quem ego manibus et pedibus amputatis, tanquam pessimum quemlibet furem, suspendio afficiam.

(i) D : tum x Saxones illum una adorti sunt.

(k) D F : ad saxum quoddam.

(l) F : Otun verò.

(m) A : Tenebres, C : Thenibeth, D : Trenbel, F : Teneber.

(n) Sic B et C, sed A D et F : quadraginta.

(o) Sic B et C, sed A : XIII, F: XIV equites vita exemit.

(p) A et D : quaque vice unum aut duos.

nam vulnera Regi Corsablino, cognato meo, inflicta ulciscar. Cum dicto equum calcaribus concitat, et longius progressus, imprudens a suis divellitur. Quem respiciens Flovent, Gamelfinnum, ut primum cognovit, et quam longissime a reliquo exercitu suo diremptum vidit, ad eum pernice gradu revertitur. Gamelfinnus prior hastam emisit, quæ manubrio fracto, sive suc-(*p.* 57)-cessu excidit; mox cervicem Floventis oppetit, qui modica corporis declinatione ictum evitans, Gamelfinni manum et caput cervicibus abscidit. Tum demum Saxones cursum sistentes reduxerunt acies. At Flovent Otunis capti causa, animo multum commoto urbem repetiit. At Franci irrito conatu eum exhilarare tentarunt.

Cap. XIII.

Floventem e prælio redeuntem, Franci summo gaudio excipiunt; qui a Rege Francorum ad delubrum deductus religionem simulans, ad verum Deum preces fundit.

Parisios, Floventem lugentes, Rex Florent alloquitur : Portas urbis custodite, ne nos improvisos Saxones aggrediantur. Deinde speculas ascendentes Floventem cum exercitu adventantem vident. Id Regi *(a)* nuntiatum est *(b)*. Flovente urbem intrante, summo omnes gaudio perfusi sunt. Rex cognito ejus adventu hunc fulgentissimum purpuratum ad se accersivit. Angsæis vero, arma Floventis, jam maximopere fatigati, custodienda accipit. Regi e petenti, Flovent osculum denegat, dicens : Ne me tangas, Domine: juravi enim me neminem ante osculaturum, quam captivitatem Otuni, sodalis mei, vindicavero : ille enim me sequendo, parentes, pena-(*p.* 58)-tes, et patriam deseruit ac ea propter, dum ille inultus est, neutiquam hilaris esse possum. Rex respondit : ne tristis sis; ego illum potius quam a sceleratis hominibus crucietur, viginti *(c)* curribus, auro refertis liberabo. Verum cum aliquot

(a) F : a quatuor equitibus.

(b) F : Rex cum multis aliis equitans ei occurrit. Tunc unus purpuratorum ad Regem dixit : Domine, inquit, confide Machumeto, et retinebis regnum tuum, et militem conductitium. Rex duodecim viros ad delubrum, purgandi idola et præparandi causa, mittit, paulo post ipse venturus.

(c) A D et F : quia ego illum viginti pondo auri contriti redimam.

dies, quos hic permansisti, Deos nostros non salutaveris, timeo, ne tibi Machometus irascatur : eamus igitur ad templum, et decem marcas auri ei offeramus. Flovent annuit, qui cum in fanum cum multis aliis deveniret, idola et Ethnicos circumstantes videns, se sancto crucis signo non ausus est signare.

Delubrum totum intus erat circumcirca pretiosissimis vestibus et aureis aulæis ornatum, quare et totum, sole fenestras vitreas illuminante resplenduit. Jussu Regis Flovent fide personata (ut pote qui fidem occultare cogebatur) decem pondo auri Machometo donans in pavimentum se prostravit. Rex Floventem Machumetem venerari autumavit, sed hic advena verum Deum bono corde hunc in modum precatus est : Deus conditor cœli et terræ, firmissima credentibus columna, asylum cuilibet peccatori tutissimum, tu cœlum tuum reliquisti, genus mortalium redimendi gratia, conceptus in utero purissimæ Mariæ Virginis, et natus Bethlehemi, hominum peccantium delicta in Jordano lavasti, XL diebus et totidem noctibus jejunasti (*p.* 59) et Lazarum, cum quatuor dies in sepulchro jacuisset, a mortuis resuscitasti ; pœnam humani generis Patri tuo ex asse pependisti. Tertio die resuscitatus nobis spem gloriosæ resurrectionis attulisti, cœlum demum ascendisti, et spiritum sanctum Apostolis misisti. Ut hæc omnia, serenissime assertor, verissima esse credo, ita, quæso, ex omnibus periculis me eripe, ne improba *(d)* Ethnicorum turba me occidat. Gratiam vero tuam potius largire, ut multi, me suasore, Ethnici idolorum cultu post tergum relicto in tua reconditiora adyta intrent. Has preces meas effundo in nomine Triados, Patris, Filii, et Spiritus sancti. Precibus peractis, Floventeque fano egresso, ingens terræ motus, et tonitrua ingruebant, quæ sequebantur creberrimus fulminum, cœlo demissorum, jactus, ut totum delubrum cum omnibus idolis funditus deflagraverit, nec vestigium aut vola apparuerit. Ethnici repentino casu consternati subito abeunt *(e)*; Rex vero insanæ pervasionis errore fascinatus et superstitione captus, vates convocatos quærit, quid hoc infaustum omen portendat ? respondent : quempiam Regem fore venturum, qui Deum alienum Machometo ante-

(d) F : Chami progenies. Et interdum textus habet ; impia Judæorum progenies, cujus loco *Ethnici* reposui.

(e) A D F : Regemque deserunt. Qui cum domum venirent, varias super hac re agitarunt conjecturas. Multi opinati sunt id imminentis belli aut alicujus gravioris mali esse præsagium, Floventemque si diū vixerit, magnum fore principem. Deinde delubrum penitus deflagravit, et in eo Maumet et Terogant, uterque sui servator inutilis.

ferret, nomen tamen illius ignorarent. Delubro exusto, Flovent domum Hermetis reversus *(f)* ad tempus acquiescit (*p.* 60).

Cap. XIV.

Quomodo Saxones nimis asperè Otunem tractant.

Archirex Salatres Corbolium redit, et vulneribus affectus, se sanandum medicis commisit. Verum Otun captivus in conspectum Regis a decem Ethnicis, eum custodientibus, adductus est. Tunc Rex Otunem interrogat : Tune Floventem cognatione attingis ? aut quanta ? at ille : socius, inquit, illius sum, non cognatus *(a)*. Te vero, Rex augustissime et serenissime, obtestor, ut me redimendi potestas fiat *(b)*. Rex abnuens ait : Nec aurum nec argentum te liberabit. Otun iterum : In tua potestate sum, Domine, sed multorum sanguine meus constabit interitus ; nam Flovent mortem meam ulturus, multos, queis floret imperium tuum, primarios viros vita privabit.

Corbuan hæc audiens dicit : Prius pereat regnum Patris mei, quam te dimittamus : Saxones autem te, quemadmodum furem quemquam pessimum, laqueo strangulabunt. Otun : tu vero cum ictum galea excepisses, dama timidior, perterritus aufugisti, exercitumque tuum fœdè reliquisti, nec alterum ictum opperiri voluisti ; sed tibi demum evenit, quod meruisti ; nam comprehensus promisisti, quod te captum ipse redimeres majori pondere auri, (*p.* 61) quam omnes Saxoniæ reges unquam possederunt.

Corbuan his verbis excandescens, in capillum captivo involavit, et ingentem plagam inflixit. Otun vero incredibili animi ardore incensus, ægre hæc ferebat, nec animo cadebat in præsenti discrimine vitæ constitutus, maluitque mori, quam illatam injuriam inultam pati. Itaque Corbuani tantam secundum aurem alapam incussit, ut genubus Patris

(f) A D F : et ob ægritudinem animi omni fere cibo et potu abstinuit.

(a) A D F : miles ejus sum et cognatus.

(b) A F : Tum etiam Flovent centum tuorum captivos libenter reddet, si mihi soli vitam indulgeris.

advolveretur, dixitque : Id tantum scio, ignavissime homo, quod si Flovent præsto fuisset, pœnam effrenatæ adeo nequitiæ illico persolvisses. Corbuan insurgens, iram in rabiem vertit, arreptoque baculo os et caput Otunis, ab incursione impediti, ita diverberavit, ut sanguis per genas ubertim manaret.

Deinde Archirex carceris custodes, quibus nomina fuere Marun *(c)* Malus, filiosque, qui dicebantur, Bellirus *(d)* Perfidus, et Kassus *(e)* Fraudulentus, ita allocutus : hunc, inquit, nebulonem in crastinum diem custodiatis ; tum enim illum excruciabimus. At illi Otunem funibus medio vinctum ad carcerem instar latronis perducunt. Quo ubi ventum erat, Otun præsentis mortis haud ignarus, interritus tamen ad Bellirum accurrit, eumque in carcerem præcepitem dedit, ut cervix perfringeretur. Casso quoque in capillos involans, capite ad lapidem alliso, illum interfecit. Hisce factis, (*p.* 62) Marun Malus ad aulam currit, et quiritans, clamat : per Deum succurrite mihi : hic nequam duos meos filios exanimavit, et me ipsum perterruit. Quo audito continuo viginti Ethnici frendentes accurrunt. Quod si vero Otuni tunc ferrum fuisset, non inultus, crede mihi, occubuisset. Bellirum et Cassum Ethnici exportarunt. Otunem vero in compagibus carceris incluserunt. Quem nisi æternus ille Pater liberaverit, summum vitæ periculum adibit. Sed mittamus paulisper Otunem extremo discrimini expositum, usque dum Deus eum liberaverit.

Cap. XV.

Otunis liberatio ex carcere.

Marsibilla Venusta Patrem visitatura quomodo valeret, aulam ingreditur, dicens : Vulnera tua, quæ video, tristem me reddunt, quorum auctor dignus est quem ignis consumat. Hæc elocuta (sed mirum dictu) vehementissimo in Floventem amoris æstu exardescens, decolor et vix

(c) A : Marin. D : Maron. F : Marun.
(d) A : Bolerin. D : Belirunt. F : Beleron.
(e) A : Kajin. D : Chain.

sui compos ex imis præcordiis gemitus fundere cœpit. At Rex filiam aspiciens, sic affatur : Ejicito tristitiam, carissima nata : medici vulnera obligarunt, et ad sanitatem cito redibo. Cognatum vero Floventis in vinculis habemus, ex quo ultionem exactam expostulabimus. At illa secum animo cogitabat : (p. 63) nec tu nec tui mortem Otuni irrogabunt, sed liberabo illum, ut eo suasore in sinum et complexum Floventis veniam. Marsibilla patrem valere jussit, et domum reversa nutricem, quam solam arcanorum suorum habuit participem accersit, dixitque : Consulta jam mihi, dulcissima nutrix ; in sinu nutricio tuo suaviter adolevi, et eapropter a te, quæ amorem honestatis mihi a teneris inspirasti, consilium jam peto. Porrige mihi filum Ariadnæum, quo duci possum ad Floventem, quem medullitus, imo supra quam cuiquam credibile esse poterit, amo. Cui nutrix : Insano et præpostero amore ardes : quem enim impotente deperis amore, summo prosequi odio teneris, eò quod viros Patris tui fortissimos obtruncavit, et ferrum in eorum jugulis tepefactum, etiam in fauces parentis tui direxit. Cave igitur te ipsam perdas. Morem potius gere consilio quod dabo : Hic apud patrem tuum est magnus princeps Almazur *(a)* qui amplo admodum regno imperat, teque mirum quantum deamat. Sed Flovent hominum egentissimus, aliorum opibus vivit. Ad quæ Regis filia : Me increpare nihil juvat. Flovent maximi ad bella impetus juvenis, viris militiæ fortissimis caliginem obducit, nec cuiquam nisi Patri meo cedit. Thesauros (p. 64) igitur et regnum dignissimo huic principi donabo ; sed Almazur nec virtute, nec forma emitet : hoc enim, quantumvis opulento, ille multo melior est et excellentior. Iterum nutrix : Deliras sane et haud leviter hallucinaris, dum eum amore prosequeris, quem odisse oportet. At Almazur audit virtute nobilis, natalibus clarus, gestibus laudabilis *(b)*, nec regno, pecunia, aut militibus indigus. quo præstantiorem maritum vix habebis. Marsibilla : Testem invoco Deum Machometum, me velle prius igne vivam concremari, quam Almazuris thalamo inferri. Tu vero donorum, non virtutum causa ignavum hunc principem ad cœlum extollis *(c)*. Hæc elocuta dilaceratis vestibus, affatim lachrymarum profundit. Quo conspecto nutrix respondit : Voluntati tuæ non refragabor, carcere Otunum liberabimus, qui vestros amores junget. Hæc Marsibillæ perplacebant.

(a) A D et F : Almatur.

(b) F : et Regum Russiam tenus potentissimus.

(c) F : Marsibilla his oblocutionibus paululum iræ concepit. Tantis, inquit, te ornavi donis et honoribus, ut mihi semper obstricta sis. Tu si velis quorumvis hominum amores conjungere potes artibus et technis tuis, opem feras, oro, etc.

Die igitur in vesperam declinante, carcerem adierunt. Carcer autem turris erat prælalta, quam per foramen lux supernè illuminabat, foribus ad plateam vergentibus. Duo viri *(d)* quorum fidei arcana sua commisit Marsibilla, per scalas in turrim ascendunt, Otunemque extrahunt, qui postea cum Marsibilla in conclave quod-(*p.* 65)-dam secessit. Hæc Otunem primo de nomine quærit; quo indicato : Faciamus, inquit, mercaturam, Te imminenti vitæ periculo eximam, sed tu mihi, interposito juramento, Floventis amorem conciliabis. Otun respondet : Conjugium Floventis pro certo tibi polliceor, nec me auctore, aliam virginem in matrimonium accipiet meus Dominus. Nam tu, Domina, quas vidi virgines, venustate multum et longe præcellis. Deinde virgo Marsibilla Otunem splendidis induit vestimentis, cibo et potu confirmat, omnique equestri armatura donat. Marsibilla iterum : Conjugem, amice, tibi e choro virginum mearum elige, quia vir es fortis, idemque formosus. Tum Otun virgines omnes circumspectè contemplans : has, inquit, mihi et Jofreiri, socio meo, duas eligo. Marsibilla : hæc optio mihi perquam grata est et accepta : ambæ enim regio stemmate sunt oriundæ. Sed jam ipsæmet dicite : Placetne vobis his viris nubere. Virgines respondent : Tuæ innitimur prudentiæ. Iterum Otunus : Ego Fausetam *(e)*; at Jofreir, qui vir bellax est et lepidus, Florentem *(f)* uxorem ducet; nosque ambo, vestri amoris causa, multos Ethnicos exanimabimus *(g)*. Deinde Mar-(*p.* 66)-sibilla Floventi annulum suum aureum et vexillum, auro intextum pignora amoris sui misit *(h)* Otunìque ad iter accincto, equum generosum tradere jussit *(i)*. Otunus, data venia eundi, gratiis actis, et

(d) A F : et duæ cum iis fœminæ, quæ perforato pariete carcerem intrant, ardentem lychnum gestantes. *Sed* D : duo illi fideles viri, et duæ virgines.

(e) A : Fauseth, C : Fasetham, D : Faucita.

(f) Sic B, sed A : Florentiam, C D F : Florentam.

(g) A D F : tunc Fauseta cum illo sermones serit, suaviter osculatur et amplectitur, summis cum blanditiis.

(h) F : quod si soli oppositum esset, videbatur quasi duo igniti vermes morsibus invicem certarent, et ignem faucibus eructarent. [Fragmentum F : totum hujus capitis argumentum idem revera tradit, sed pluribus verbis, et forma paulo invariata, imprimis de colloquio et jurgiis Marsibillæ et nutricis, virginum electione et responsis, Fausetæque technis, ut Otunis in se derivaret amorem.]

(i) A : Florentia dixit : Si ego Jofreiris sponsa ero, socii tui, vos quando cum nostris dimicaveritis, prope urbem accedite, ut nos vestram virtutem, a cœteris dignoscamus. Hoc vero vexillum [D : et cingulum] illi trade quod nostri amoris pignus erit. [F *addit* : postea vero urbibus et opibus illum ditabo, si laudi, quam de illo decantasti, par mihi visus fuerit.]

virginibus valere jussis, per posticum emissus evadit, et omni ab impetu tutus, iter pergit, et bona avi Parisios venit.

Cap. XVI.

Flovent reditu Otunis, et donis Marsibillæ, amoris sui pignoribus lætatus, regem Francorum adiit, quem filiam suam et honores offerentem, sermone de bello strenuè absolvendo, interrumpit. Quod et stratagemate redintegrant. Congrediuntur utrinque summis viribus Reges, et committitur atrox et formidabile prælium. Flovent et Rex Saxonum summum vitæ periculum adeunt. Quatuor Reges contra caput Floventis conjurant, quorum principem, Regem Falsarum, masculè devicit.

Otuni, Parisios tempore gallicinii matutino venienti, portæ aperiebantur; urbem autem ingressus, ad lares Hermetis tendit, et fores leni manu pulsat. Flovent casu Otunis, quem in carcere esse cogitabat, contristatus, noctem insomnem duxit, et pulsatione (*p.* 67) audita fores reserare jussit. Cognito Otune eum amplexus et osculatus, ait : Dic mihi Otun socie, quo pacto evasisti, aut quis te liberaverit? illum omni officiorum genere prosequar et demerebor. Respondit Otun : Sta, Domine Flovent, hisce promissis tuis; et seriem totius rei illico exposuit : Te in sinu, amore et deliciis habet Marsibilla, cujus beneficio e carcere eductus huc redii. Offero tibi a Marsibilla missa, insigne nempe, et annulum, pretiosissima gemma fulgentem quæ possessorem virtute sua ab incantamentis, veneno, et fraudibus servaret immunem. Flovent respondit : Non est quod dubites, Otun, de fide mea in eam, quæ te in gratiam mei libertati restituit; nunquam vel minimum de fide mea remittam, quamvis non prædita esset virtutibus, queis te referente enitet. His dictis, Otuneque cibo et potu refecto, quieti se dedere.

Hoc anni tempore majus, primus æstatis mensis, instabat, qui longiorem diem, mitius cœlum, virescentem terram, et frondosas sylvas producere solet. Flovent postero die manè surgens Regem invisens, talibus salutat verbis : Dominus orbis te, Rex, custodiat, rebusque confirmet secundis. Cui Rex : eadem (*p.* 68) bona tibi precor. Ego, pergit Rex, filiam meam tibi despondebo, teque comitem constituam, ut Regnum me

defuncto tibi jure obtingat. Flovent : tanto omnino indignus sum honore. Ego adhuc ætate adolescens sum pauper et privatus homo; filia vero tua regio connubio digna. Tunc filia Regis, te carissime Flovent, conjugem, suffragante Patre, expeto, nec dignior maritus mihi contingit : nam vir es formosissimus pariter ac fortissimus. Et statim si ambo voluntati ejus obsecundassent nuptui data fuisset *(a)*.

Flovent autem ad turbandum hunc discursum alium instituit sermonem, hunc in modum Regem allocutus : Direptores Franciæ et Regni tui vastatores bilem mihi commovent, quapropter aliquid consilii est capiendum, ut injuriam nobis illatam, et damna, quæ multos annos perpessus es, vindicemus. Mille exploratores Corbolium mittamus, qui cavillis et superbiloquentia Corbolienses provocent, sed maxima pars exercitus sequatur : provocati autem provocantes persequentur, qui simulato metu ad suos refugiant. Hoc consilio approbato, Rex, signo dato, cum viginti equitum millibus urbe exiit. Qui cum in depressum quendam locum venere *(b)* Otunem (*p.* 69) et Jofreirem Corbolium una cum mille equitibus mittunt. Hi cum ad urbem appropinquarent, Saxones in speculis erant, et contempta paucitate hostium, quieti sedebant. Quos Otun hunc in modum alloquitur : Regi vestro Salatri dicite, quod ille reddat regiones quas occupavit, et quæcunque ex Francia rapinis arripuit, et etiamnum injustè tenet Domino suo restituat. Tradite, inquam, modo, si salvi esse velitis. Hoc audito Salatres suos inclamat : Prehendite nebulones istos, et mihi adducite. Ethnici dicto ocyus, cunctis lituis canunt, armati ab urbe, qua duxit via, gregatim proruunt, et Otunem et Jofreirum cum suis recedentes insequuntur.

Tum vero filia Regis Marsibilla spectandi cùpida altissimam urbis speculam ascendit, Otunemque conspicata ad Fausetam dixit : Vide dilectissimum tuum Otunem, luteo illi equo insidentem, quem ei donavi. Tunc Florenta : conspicor jucundissimum meum Jofreirem, una cum Otune ibi procedentem : illum nitida arma magnopere cohonestant; sed crediderim, Domina, amicum tuum Floventem, extinctum, quoniam abest. Ad quæ Marsibilla : Ne dicas hoc, Florenta; Flovent meus adeo non est vituperandus, ut encomia laudum mereat : nam et eximia forma et virtute bellica insignis est, vestrisque viris haud sane inferior, nec minore laude dignus (*p.* 70).

Saxonum ante aciem duo principes equitabant *(c)* quia equis vehe-

(a) F : quemadmodum *Mag.* Simon asserit.
(b) F : Rex et Flovent cum exercitu in vineto quodam subsistunt.
(c) F : unus nomine Esturim, alter Finables.

bantur velocioribus *(d)*. Otun ad Jofreirem socium dixit : Vidin', ubi amicæ nostræ suavissimæ stant in specula, revertamur igitur et proxime insequentibus occurramus, specimina heroicæ virtutis edituri. Reversi igitur ocyssimè in duos illos Saxonum principes irruunt; qui ad humeros usque dissecati, in terram denique ceciderunt; quo facto et Saxonibus appropinquantibus, ad suos revertuntur.

(e) Jamque mille et quingenta Saxonum equites accedunt, cum Flovent ex insidiis egressus, vexillum erigere, et classicum canere jubet, quos improvisos et undique circumventos plerosque oppressit, ita ut maximam hostium, qui tunc aderant, partem deleverit. Mox Franci buccinarum clangorem, hostiumque immensum strepitum audiunt, sibique occurrentem vident, Archiregem Salatrem, una cum Filio, et duobus Regibus Falsardo et Canabert, qui omnes viginti millia satellitum et peditum decem ducebant. Adfuit et Rudent, cognomine Robustus, fortissimus athleta, qui ex Dania oriundus, Salatri cognato suo suppetias advenerat. Rudent Robustus multos Francorum confossit, Floventemque (*p.* 71) magna voce provocavit, dicens : Ubi tu, conductitie miles, si armis mecum certare audeas, adesto. Flovent respondet : Quæsitum hic invenies. Mox incitatis equis, acerrimè congressi, hastas primo concursu confregerunt. Deinde gladios distringebant. At Flovent animo ardens, caput hostis ad humeros usque obtruncavit, dixitque ovans : Laus Deo, patri clementissimo, qui tanta virtute arma nostra ditavit. Archirex Salatres interitum Rudentis cognati sui ægerrimè ferens, Floventem de nitidis suis armis, et grandibus ictibus satis superque cognovit, unde et ipsum, sed incautum, invadit, gladiumque sub scutum Floventis immisit. Sed Deus, qui suorum semper est tutela, Floventem illæsa lorica invulneratum custodivit; nihilo tamen minus Regis adeo validus erat ictus, ut, disruptis omnibus ephippii ligamentis, equo desiliret. At Angsæis, qui propinquus erat, equum celerrimè arripit, sternit, Floventique tradit; qui equo conscenso dixit : Nequeo mihi temperare, quò minus injuriam illatam statim ulciscar. Verum Jofreir

(d) A D F : mille equitum ducentes, ipsi vero cum decem equitibus præcedebant, quia reliquis promptiores videri volebant. Otunus ad socium conversus : vide Saxonum, inquit, superbiam, quam Deus infringat. Revertamur itaque ut amicæ nostræ, etc. F : mox cum x illis equitibus manus conseruerunt, sed multum metuentibus virginibus, et ne pereant precantibus. Verum Ethnici, suorum clamore audito, subventuri festinant. Socii vero ad suos recurrunt.

(e) A D : Deinde Rex Florent copias suas ex sylva eduxit, Saxonesque improvidos omni ex parte circumdedit.

vicinus Floventi, cum equo deturbaretur, Regem summa vi adorsus, tanto robore plagam inflixit, ut posteriorem galeæ partem et loricæ manicam prope cubitum abscideret, simulque ephippium cum equo, illæso tamen corpore Regis, dissecuerit. Rex tamen ante aciei suæ frontem in faciem pronus corruit. Advolant sine mora centum *(f)* equites (*p.* 72) qui alium illi subministrabant equum; in quem cum ascendisset, ter lituo (quem forte habuit) vehementer cecinit. Convocatis in unum militibus, cum filio suo Corbuano bellum de integro restauravit *(g)*. Tum vero Falsardus Rex, et quatuor *(h)* quos ad se vocavit, principes per Mahumetem jurarunt, sese prius non esse reversuros, quam Floventem aut interfecissent, aut captivum secum abduxissent. Deinde Saxones violentissimum in Francos impetum fecere. Tum multa ibi disjecta sunt Francorum scuta, loricæ diffisæ, multique equites humi prostrati. Rex Florent cladem suorum cernens, fugam meditabatur. Sed eodem momento Flovent, Regis signifer, opportunè advenit, et cum eo duo equitum millia. Hic impigrè languescentem pugnam solus accendebat, et primo uni principi *(i)* mox quatuor *(k)* aliis vitam ferro eripuit. At Franci, confirmatis denuo animis, Saxonum trecentos brevi interfecere. Floventi vero nullus adeo fortis eques occurrit, qui non gladio ejus succumberet, Otune et Jofreiro fortiter hostes cædentibus : similis ruinæ strages erat, quam per acies hi tres, ubi processerunt, disseminarunt.

Tum Rex Falsardus videns damna, quæ inferebat Flovent, (*p.* 73) cum quatuor conjuratis proruit; aderant utriusque partis milites, suum quemlibet ducem defensuri. Hic congressus acerrimus fuit, ita ut vix unquam major contigerit *(l)*. Tum Flovent concitato equo quatuor equites prosternit, et Rex Falsardus, suis in antecessum incitatis, vicissim sex *(m)* coram oculis Floventis equites trucidavit. Ipsi vero, ut alter alterum cognovit, cruentis armis concurrunt. Rex prior ingenti percus-

(f) A : decem.

(g) A D : suosque hortatur : magnam nobis infamiam hic vir attraxit, nam coram oculis meis triginta mei amantissimos viros occidit. Egò quidem ipsum equo deturbavi, sed vulnerare non potui. Præterea ab uno ejusdem commilitonum periculosissimum ictum accepi. Vos vero cognati mei estis et socii, ideoque me tueri, et mea mala pro totis viribus avertere tenemini. Tunc vero Falsardus, etc.

(h) F : et MM quos ex copiis suis elegit.

(i) F : equiti de Frisia.

(k) F : duobus aliis.

(l) F : Post Alexandri Magni tempora, asserente Mag. Simone.

(m) A : quatuor.

sione Floventis clypeum (quem ab Hermete *(n)* quondam dono acceperat) tentavit, sed clypeo impar gladius in duo frusta dissiluit. Mox Flovent mortem Regi maturaturus, eum ita cæcidit, ut per caput, cervicem et humeros continuatum vulnus deduceret, et de equo mortuum projiceret. Hic quoque ictus reliquorum conjuratorum animos refregit *(o)*.

Cap. XVII.

Archirex Salatres et Filius ejus Corduban a Flovente ad certamen provocati, fugam cum suis capessunt. Flovent iterum cum fugiente Rege Saxonum ad portas urbis Corbolii monomachiam acriter committit, pugna strenuè bis revocata. Victoriam prima specie dubiam demum deportavit Flovent. Rex filiam pro vita paciscitur. Illa cuncta eorum gesta e specula prospiciens, opem Patri ferendam efflagitat, sed frustra. Fusis fugatisque Saxonibus Franci victores domum orantes redeunt, et denique mutua inter Reges Franciæ victorem et Saxoniæ victum jurgia.

Interea Corbua Regis filius aciem, cui Rex Florent præ-(*p.* 74)-fuit, sanguine; cædibus, et mille malis laceravit, ita ut Rex fugæ locum circumspicere cœperit. Floventi igitur quam primum nunciatum est Regem summo in discrimine versari et de Floventis salute, cum non esset præsto, desperari. Celerrimo huic juveni, strenuè cum suis ad hanc periculi partem converso, Rex Florent dicit : Magnam nobis infert cladem Regis filius, nosque fugam paramus, nisi nobis feras suppetias. Cui Flovent : metum ejicito. Tu noster es coryphæus, igitur te fortem esse decet, nec ullum formidinis indicium edere. Magna enim pericula felix sæpe sequitur eventus : illata nobis damna vindicaturi hostem impigrè aggrediamur. Franci his verbis incitati tubis canunt. Flovent Saxones haud secus, quam avidus lupus, urgente fame, tenel-

(n) Rectius forte Heremita, *ut habet exemplar* A.

(o) A D F *addunt :* querelas Salatris de cæde Falsadi, maledicta et minas in Floventem, se scilicet Francos longiori bello vexaturum, et urbes eorum excisurum quando advenerint filii sui, xxx millium duces [F addit : et Rex Almatur, qui sex millia fortium virorum ductat] quorum ope suffulcitus toto tandem Franciæ regno potietur, filiis post obitum suum cessuro.

los agnos, aut falco famelicus prædam, aggreditur, ipseque occisis decem magni nominis Principibus, Corbuam Regis filium in pugnam provocat, dicens : Si audes mecum manus conserere, adesto. Verum Corbuan virtutem qua Flovent prænituit probè cognovit, armaque ejus sanguine infecta conspicatus in aciem suorum pernice gradu timidus se recepit. Flovent fugientem insecutus, non tamen assequitur, quia Saxones conserta virorum robora illi obtendebant. Corbuæ tamen proximos cædit; viri quoque ejus vestigia antesignani sui fortiter secuti, *(p. 75)* multos hostium perimunt, aciemque disturbant. Flovent per mediam Saxonum aciem perrumpens, Archiregem quærendo, utrinque plagas inflixit. Salatres vero conspecta suorum clade miraque virtute Floventis, qui eum etiam petere sustinebat, sese cum universis copiis illico in fugam penetravit, Francis fugientes urgentibus. Flovent autem Archiregem Salatrem, nitidis armis conspicuum, tali clamore insequitur : Me adolescentem, inquit, septendecim annos natum, Rex Salatres, exspecta si dimicare audeas. Rex vero territus equo subdidit calcaria, et Saxones, panico terrore perculsi, fugiunt ; quorum multi dum portas turbidè petunt, ab equis conculcati periere. Flovent equo instimulato, equum quo Rex invehebatur ferro trajecit, et terga fugentium confodit *(a)*.

Marsibilla, Salatris Regis filia, in speculis stabat, choro virginum stipata ; Saxones a Francis graviter premi videt. Quapropter in agmen Francorum ingentia saxa devolvunt, quibus septem *(b)* equites periere. Otun, viso hoc dolo, clamavit : Domina virgo, Marsibilla *(p. 76)* plus justo indignaris, et cur promissa tua revocas? nam Flovent hac fraude audita, uti par est, irascetur. Respondit Marsibilla : Nunquam mea fides et amor in eum vacillabit. Et hoc dicto in castellum super portis situm, se recepit, unde suos saucios reverti, Patremque in media fugientium turba, peditem cum Flovente, ipsum acriter impetente, mutuas plagas miscere, prospexit. Timore valde perculsa : Ach ! me miseram, inquit, quæ duos, mihi in toto terrarum orbe amore conjunctissimos armis certantes video; nam Flovent non prius gradum sistit, quam Parentem meum vel occidat vel capiat.

(a) A : Tunc etiam Franci M fugientium cæcidere. F : Maxima exercitus pars inter fugiendum in vinetum quoddam pervenit, quod et illis non parum obstaculi attulit : nam mille virorum ibi pedibus equorum conculcati periere. D E : cæterum per portas cum confestim omnes simul penetrarent, centum ab hostibus urgentibus cæsi sunt.

(b) A : quatuor. D : tres. F : sex. F : Otunis et Marsibillæ colloquium prolixius describit; nec non Marsibillæ lamentationem et Florentæ irrisionem, quod scilicet Marsibilla virum, cujus famam solum inaudiverat, admavisset.

Archirex Salatres equo depulsus *(c)* pedes se viriliter defendit, et ingentem clypeo Floventis ictum impressit, sed sine successu. Tandem defatigatus, licet invulneratus, quietem rogat, et Floventem laudat : Manu miles, robore mentis, peritiaque belli multis præcellis, sed sub signis improbi Regis militas, qui digna tibi præmia deferre nescit; si castra mea sequi volueris tibi ccıↄↄ ccıↄↄ equitum, regnumque *(d)* dabo; sin hæc respuas, te profecto occidam : nuper enim duos meos filios Guinimerum et Isaacum advocavi, qui Parisios paulo post hæc numeroso milite in suam redigent potestatem. Ad quæ Flovent : Si a rege Francorum (*p.* 77) sub quo mereo, ad te defecerim, omnibus contemptui ero, nec crimen fractæ fidei facile diluam. Tum Flovent Regem, denuo plagam inferentem, clypeo pressit, et postea illi grave vulnus in axillam, diffiso simul ejus clypeo, intulit. At Rex clypeo et reliquis armis continuo abjectis, urbem intraturus, Floventem *(e)* ad instar infantis sub alam manus arripuit *(f)* curritque. Tunc Flovent magna voce implorat opem suorum : Ubi vos, socii mei? succcurite festini. Jofreir admotis equo calcaribus, in Regem hastam suam tanta vi contorsit, ut, vulnere in ossa deducto, Rex pronus in terram corrueret. Flovent in pedes cito erectus, *(g)* uno ictu partem cassidis et aurem Regis cum magna genæ parte gladio abscidit. Rex, accepto vulnere, clamat : Quin parcis mihi; manus enim victas dabo; et pretium redemptionis meæ depensurus regnum *(h)* tibi donabo, filiamque Marsibillam, virginum, quas totus terrarum orbis habet, pulcerimam nuptum locabo. Flovent accepta hac conditione, Regem, tradito gladio, equo impositum ut domum devehatur, abduxit.

Marsibilla hisce conspectis *(i)* ad Principes, in urbe convocatos, clamavit : Ibi conductitius Franciæ miles pa- (*p.* 78)-trem meum vulneratum, ac insuper captum ducit. Oportet autem vos, fide obstrictos, vestram pro salute ejus profundere vitam; insequimini conductitium illum

(c) F : acriter alium equum insiluit, et se viriliter defendit, etc.

(d) F *addit :* Rucciam.

(e) A D : cum quatuor aliis viris incurrit, cepitque, ac in urbem trahere studuit.

(f) F *addit :* quippe Florenti IV pedibus procerior.

(g) A : festinus equum scandit, et plurimos eorum, a quibus antea tenebatur, gladio peremit. Deinde, etc.

(h) F : regnum quod antea dixi, cui præfuit Florent, principemque supra multos viros te constituam.

(i) F. Deliquium animi ferè passa est. Florenta vero fugientes hortata : Boni viri, inquit, etc.

militem, præstate vos viros. Vindicate patrem meum in libertatem, et quam ocyssimè eripite. Hæ voces silentio exceptæ, ingentem tristitiam et luctuosam solicitudinem urbi tantummodo peperere, nemo tamen hostem insequi ausus est, imo ne Regis quidem filius Corbua liberationem parentis armis tentare sustinuit. Franci victoria, quam consecuti erant, ovantes domum remeant. Tum Rex Franciæ Florent his verbis Floventem alloquitur : Gratissimam et quæ memoriæ nunquam excidet, optimam mihi tulisti opem : domuisti enim, et in meam potestatem tradidisti hostem ferocissimum, cum quo gravissimas, longo temporis intervallo, discordias alui. Jamque Franci summo cum gaudio et ambitioso strepitu, late circumcirca sonanti, domum contendunt : tripudia vero eorum tragico forsan prius exitu finiuntur, quam urbem intrent *(k)*. Florent vero rex Franciæ, ad Salatrem Regem conversus, sermonem ita orditur : Ingentem, perditissime vir atque scelestissime, nobis intulisti cladem. Non Regis purpura, sed tyranni immanitate efferus, inquilinos regni mei miseris modis afflixisti, Franciam rapinis (*p.* 79) vexasti, exitioque meo imminuisti. Nunc vero fascibus meis obtemperaturus, pœnam temeritatis tuæ luas meritissimam, et ut sementem feceris ita metes : te enim conjiciam in squalidissimum et sordidissimum carcerem, qui tota urbe Parisiorum inveniri potest, ibi inclusus tot mala sustinebis, quot sol *(l)* unquam viderit. Ad hæc Rex Salatres : Jam timidissime homuncio ampullaris, et verba projicis sesquipedalia, qui tamen nomine regis inferior es. Triginta menses *(m)* in regno tuo consedi, urbes et castella expugnavi, te tamen heroicum facinus patrantem adhuc non vidi *(n)* ; et nisi hicce juvenis, qui tres meos Reges,

(k) F *adjicit :* Mag. Simon. Cœterum exemplaria A D. et inprimis F. huic loco prolixiorem inserunt narrationem de luctu Corboliensium, et quod Corduban idola Machumetum et Terogant barbaro ritu baculo verberaverit, dilaceraverit, et in scrobem projecerit, additis minis, ibi silicet mansura, ni Regem reducerent.

(l) D F : post tempora Nohæ.

(m) A D : annos.

(n) A D F : nec te unquam ex urbe exeuntem vidi. antequam hic juvenis tibi auxilio venit. *Exemplar* F *hæc prolixis verbis persequitur.* Salatrem nempe Floventi metum potissimum exprobasse, minitatumque fuisse filios suos duos (quibus xxx equitum millia, et Almaturum, cui xx millia equitum militabant) qui intra quatuor dies adventuri Florentem regno exuant, urbemque ignitis machinis, quas ex Finnonnia asportandas curasset, exurant. Florentem vero mille malis vexatum (prout eos edocuisset) in Nubiam exutatum mittant. Postea vero uni filiorum Franciam, alteri vero Normandiam cessuram, quibus regnis administrandis, ut pote hominum

nec non complures viros desideratissimos occidit, et me tribus incursionibus concussit, tibi opem tulisset, te caudæ equinæ adstrictum Parisiis expulissem, et crinibus tuis extractum suspendissem.

Cœterum Franci domum pergentes, servis loricas tradunt (*p.* 80).

Cap. XVIII.

Duo Regis Saxonum filii, Francis domum euntibus, inopinato superveniunt, eosque invadunt, cæduntque, et patre Francis erepto, Regem Florent occidunt, Floventemque graviter vulnerant. Ille sumta lorica, suorumque animis confirmatis, principem Almazurum occidit, et periclitantem exercitum ab internecione ægrè vindicat, sed tamen arte sua et industria ad urbem intrepide reducit. Archirex Salatres consilio filiorum de relinquenda Francia dato, suffragatur, et calculum adjicit.

Jam ad filios Regis Salatris Guininum et Isaacum redeat narratio. Hi lectis epistolis *(a)* CCIↃↃ.CCIↃↃ equitum et ingentes peditum copias celer-

meticulosissimus et omnibus virtutibus vacuus, prorsus sit impar et indignus. At Rex Florent, tyrannidem, iniquitatem, latrocinia, et injustitiam Salatri ut plurimum exprobrat, quem nunc tandem dignus vita exitus maneat. Inter cœtera convicia et scommata quæ alter in alterum jaculabatur, hic Florens in Salatrem immisit : Jamque usu venit vetustum illud Francorum proverbium (quod solum exemplar membranaceum F: hoc modo exhibet, sed forte ita corruptum ut ad hodiernam Gallorum linguam vix referri possit.) Kicent suudeplus qesa chra pene tenet qant frenduret. Translator Islandicus sic explicat : Qui pedem extra pallium (vel togam) exporrigit, eum pœnitebit, quando advenerit frigus 1.

(a) F : Hi totam Normandiam et Romanum imperium usque ad Græciam subjecere. A F : hi toto suo exercitu in Franciam converso eam armis fatigabant, urbes et castella expugnabant, tres Reges interfecerunt, multosque magni nominis alios. Cum his erat Rex Almatur, cui sororem suam nuptum destinaverant; xxx millia in armis habebant. Parisienses defensionem parabant. D : hi Floventem quatuor patris sui Reges, aliosque multos laudabiles viros occidisse, inaudiverant. Jamque portas Parisiensium obsidebant, qui defensionem moliebantur.

1. Cf. supra, p. 61.

rimè conscriptas ad urbem Parisios admovent : harum etiam castra secuti sunt equites Almazuri.

Guinimus mœnibus accedens, magna voce inclamat : Ubi tu, conductitie miles, Francorum athleta ? provoco te ad pugnam. Veni huc, et mecum concerta, nisi deficiat animus. Cui civis quidam intemperantioris linguæ respondit : Ito Corbolium, ibi enim eum cum Rege nostro et multis aliis invenies ; quem si reperieritis, te tuosque male mulctabit. Hoc accepto nuntio Guinimus vasa ocyus colligere jussit, et maxima cum celeritate viæ se commisit *(b)*.

(*p.* 81) Franci incompositi, læti et sine loricis palantes, quid rerum agatur nesciunt, priusquam huic exercitui occurrunt. Ad arma sine intercapedine, utrinque concurritur, et mox ingens cædes editur ; Franci vero ferè ad internecionem usque cæduntur. *(c)* Deinde Guinimus magna voce exclamat : Ubi tu, conductitie miles, adesto, si audes ; nam te vita privare decrevi. Flovent, subditis equo calcaribus, instar fulminis emicuit, eumque hasta petitum ex equo, illæsa tamen lorica (et hæc causa salutis fuit) longè procul dejecit. Protinus frater ejus Isaach *(d)* advolat, Floventique altum vulnus, ut pote non loricato, hasta inflixit. Sed quod ad Archiregem Salatrem attinet, ille *(e)* in primo statim concursu receptus fuit a suis, et militum testudine circumvallatus, nec in Francorum diutius potestate permansit.

Flovent se vulneratum sentiens cum Otune et Jofreire, aliisque commilitonibus paululum e prælio discessit, dixitque : Vulnus quidem accepi, parvum tamen, si virtus vulnerantis consideratur, mihi interim temperare nequeo, quo minus injuriam hanc mihi illatam ulciscar. Interim Rex Florent cum toto *(f)* exercitu et armigeris advenit, omnesque armantur. Floventem armis indutum quemlibet occurrentem haud leviori, quam quo ipse affectus erat vul-(*p.* 82)-nere sauciasse (ut inquit Mag. Simon) credo. Nec Otun et Jofreir et quindecim *(g)* quæ aderant equitum millia ullas in sequendo moras nectunt. Tum Flovent in hunc maxime modum præfatus est : Deus, Dominator cœli et terræ, nostras

(b) F : Sol occidit, sed valles et montes fulgore armorum Ethnicorum resplenduerunt.

(c, d) A : Demetrius et Isaach. B : Guininus et Isaach. C : Guinninus et Isach. D : Gynimus et Isaac. F : Guinimer et Isaak vel Isaacus.

(e) F : Quando prælium in valle cæperat, Corbolium equitavit, ubi ab omnibus amantissime excipitur.

(f) A : xxx millibus, omnibus armatis ; D : xx millibus.

(g) A : xi. B C F : xv millia, D : x millia.

vires ad repellendum tam tumultuosum hostem adaugeat. Impetum acriter faciamus, nam hic aut moriendum aut vincendum est. Defendamus igitur regiones nostras viriliter, ita ut nos honesta vel vita vel mors maneat. Neque enim semper sunt morti viciniores, qui huic vel illi periculo ancipiti exponuntur. Qui summo conamine vitat mortem, naturæ tamen debitum solvet, quando omne vitæ tempus effluxerit.

Jam per totum exercitum Francicum consurgit cantus tubarum et clamor militum : strepitu equitantium campi latè circumsonabant, aerque fragoribus percrepuit. Saxones vero viriliter resistunt; hinc multo certatum est sanguine. Filii Regis quemlibet occurrentem sternunt cæduntque. Nec Rex Florent laude sua defraudandus est. Flovent robore et fortitudine longè eminentissimus, cum sociis suis per mediam Saxonum aciem perrumpit.

Tum Regis filii acrem incursionem faciunt, et eo ubi Regem Florentem strenuè pugnantem vident, impetum (p. 83) vertunt. Isaachus cum videret aciem aliquantulum extenuari, Regem adortus, hastam, clypeum ejus tentando, confregit. Rex autem clypeum ejus et loricam perforat, femur ejus graviter vulnerat. Mox Isaacus Regi manum cum toto latere abscidit, mortuumque dejecit *(h)*. Quo facto Saxones clamore, ut victoribus moris est, sublato, propugnatores acrius urgent. Franci vero morte Regis cognita, confestim sese in fugam effundunt. At Flovent, dum hæc geruntur, in altero erat aciei cornu, cui Otun fatum Regis indicat, dicens *(i)* : Periclitamur, Domine Flovent; cecidit enim rex et omnes, quotquot sunt, in fugam se conjiciunt, exceptis nostris *(k)* quorum quemlibet resistentium *(l)* decem Saxonum circumcingunt : revertamur igitur ad urbem, et nos præsenti malo fuga eripiamus. Flovent, hoc nuntio, uti par erat, mœstus, respondet : Moriar, nisi mortem Regis mei nece principis cujusdam rependam. Cui Otun : Deus bene vertat! Quo dicto, tubarum clangore cum suos extimulasset, tanta vehementia in Saxonum acies invehitur, ut omnes obvii pulsi retrocederent, aut stantes caderent.

Deinde Flovent *(m)* Almazurum, qui Marsibillam amore deperibat,

(h) F : gladiumque suum elevavit, victoriam ostentans.

(i) A D : nunquam hodie circumspicis Domine, stragem vero ad utrumque latus perniciosissimam facis.

(k) F : quindecim millibus.

(l) A D : unus nostrum quatuor Saxonibus circumdantur. F : unus nostrum sex, etc.

(m) A D F : Almazurum, Marsibillæ sponsum, adortus, magnamque clypeo ejus incisuram impressit. Almazuri vero hasta clypeum Floventis (qui ad

instar fulminis adortus, tam dextrè caput (p. 84) abstulit, ut longè a trunco dissultaret, quem et in terram excussit. His peractis, Flovent ad suos dixit : Nunc Parisios retrocedamus : quippe hic valet vetus illud verbum : Multitudo vincit, confidamus Deo, qui nobis forsan meliorem vindicandi occasionem reservavit. Cœterum nos, non tanquam fugientes, sed sensim et composito agmine progrediemur (n) [1]. Paruerunt mandato. Flovent nihilominus identidem reversus, multos Saxonum insequentium fortes viros occidit.

Multorum sanguine Saxonibus ea stetit victoria; idcirco filii Regis, ad urbem Parisiorum approperantes inter se concludunt, satius esse reverti, tanta victoria parta, quam novum periculum, victos longe nimis insequendo, subire *(o)*.

Reversi patrem hortantur, ut Gallia decederet; affatim enim, inquiunt, divitiarum habemus. Hoc consilio approbato, Archirex Salatres, ut filiam cum thesauris suis in Saxoniam duceret, Corbolium se profecturum dixit. Vos autem in Saxoniam præcedite, ubi vos sequenti mense conveniam. Post hæc filii Regis Saxoniam, Rex autem Corbolium petunt. Qui a Corboliensibus summo gaudio exceptus, vulnera sua sananda medicorum curæ commisit.

Cap. XIX.

Flovent reparatis viribus desolationem et incendium Corbolio (p. 85) *minatur, urbemque, paucis resistentibus, invadit. Capitur Salatres, qui regnum et opes cum filia offert. Ictum deinde fœdus est et percussum. Regis filia despondetur et Baptismum recipit. Flovent in regnum Franciæ eligitur, et nuptias suas celebrat.*

Flovent Parisiis mortem Regis *(a)* gravissimè lugens, septem die-

1. Deest littera quæ notam (n) indicet; quam hic locandam censuimus.

ictum exsultavit) petens, sub ventrem equi transvolavit, manubrio fracta. Tunc Flovent gladium suum Jovis distringens, caput Almazuri cervicibus abscidit (F : dixitque : Non vesperi nuptias cum Marsibilla celebrabis).

(n) A D F : cum instructis aciebus.

(o) A D : quia acies multos viros abstulit, imo et Almazurum, virum perquam fortissimum, quem vinci nescium putabant, ideoque multum sibi timentes, exorant patrem, ut secum domum abire velit.

(a) A : Floris.

rum spatio peracto, omnes in urbe principes virosque prudentissimos convocat, et convocatis se Corbolium iturum indicat, ut accepta mala in Rege Salatre vindicaret, et quemcumque fortuna dederit finem bello imponeret. Omnes ad consilium ejus accesserunt, enixè rogantes, ne hoc in rerum turbine suos destitueret, qui eum principem jam agnoscebant eique obsequium pollicebantur paratissimum. Urbe igitur cessit viginti equitum millibus *(b)* et totidem peditum stipatus, Corbolium intra solis ortum venit. Hæc urbs validissima erat, et nunquam antea expugnata, si quidem firmissimis muris et fossis vastissimis munita esset. Pontes quos fossæ habebant interdiu pandunter et reserantur, noctu autem clauduntur. Flovent exercitum vicinam sylvam succidere, et fossas implere jussit. Deinde igne admoto, cum incendium latius serpere et vires sumere cœpit, murus incaluit, calx et conferruminati lapides paulatim dissolvi cœperunt. Tum admotis cata-(*p.* 86)-pultis et machinis muralibus totum murum facilè perfregere, et postea frigida perfudere.

Deinde incursione facta, urbem cum clamore, et magno tubarum clangore invadunt. Pauci erant propugnatores, Rex tamen Salatres viriliter restitit cum suis, sed tandem pauci a multis circumventi sunt. Rex igitur præpotenti hosti impar, capitur et pacem supplex rogat. Cui Flovent respondet : Si jam promissis stare, mihi regnum cum thesauris donare, Marsibillamque filiam in matrimonium dare velis, et insuper jurejurando te Franciam bello nunquam lacessiturum confirmaveris (Deus enim Franciam justè regendam mihi destinavit) utique vitam et honores tibi servabo. Cui Rex : Immo, hæc omnia sanctè promitto, nam filiæ meæ præstantius conjugium contingere posse existimo nullum. Tua igitur erit conjux et tibi *(c)* trium Regum, quos occidisti, regna loco dotis offero, erisque mihi auxilio ad omnia, quæ te decent. Hæc Flovent facilis promisit. Primo fides utrinque data acceptaque Pacto deinde et sponsalibus peractis producebatur Marsibilla Regis filia, virginum omnium, quæ tunc temporis vivebant, formosissima, cui id unum defuisse videbatur, (*p.* 87) quod communi mortalium legi, aliquando mori et non semper vivere, adstricta esset.

Flovent postea nuntios Romam misit, Episcopos et presbyteros petitum. Autumnant plerique sanctum Marcum hoc tempore Romæ Papam resedisse, qui episcopum cum sacerdotibus, ad eum misit. Hic episcopus Marsibillam *(d)* cum multis aliis vero cultui Supremi Numinis per bap-

(b) D : M. M.
(c) A D : erisque mihi loco Regum meorum quos occidisti.
(d) A D : quæ in Floventis gratiam Baptismum suscepit.

tismum initiavit. Quo facto Flovent lautum in urbe Lutetia Parisiorum parabat convivium, in quo palam promulgavit, quod omnes regni incolæ baptismum reciperent, et Christo soli nomina darent, ejectis et execratis omnibus idolis. Deinde conventum habuit, ubi omnes regni optimates cum populo congregati Regem illum salutaverunt, cui debitam obsequentiam jurejerando pollicebantur.

Cap. XX.

Flovent susceptam in Francia veram religionem stabilit. Postea Romam cum exercitu profectus, Cæsari Constantino contra Regem Hispaniarum opitulatur. Romæ a Papa Rex creatur. Redux socios Otunem et Jofreirem regnis et connubiis beat, et postremo tandem placidè mortuus, honorificè sepelitur.

Deinde celebrantur nuptiæ Floventis et Marsibillæ lautè admodum et regia cum magnificentia, duravitque convivium, prout mos patriæ exigebat. Confectis vero nuptiis, Rex (*p.* 88) Salatres maximo cum honore, quem Flovent ei habuit in regnum suum Saxoniam dimittitur.

Flovent omnes per totam Franciam ad verum Supremi Numinis cultum convertit, templa exstruenda curavit et ornatus addidit, necnon aliorum Deorum delubris destructis aut in templo consecratis veram religionem omnibus propagavit viribus.

Postea Regi Floventi nunciatum est urbem Romam *(a)* ab Amirallo Hispaniæ rege, cum innumero Ethnicorum exercitu obsessam esse, nec non Constantinum Imperatorem, multis præliis eum eo gestis, inferiorem cessisse, et pulsum denique in urbem confugisse. Properè igitur exercitum in Francia contraxit et Romam tendit. Castra vero Regis Hispaniæ conspicatus classicum canit *(b)*, et mox crudele committitur prælium. Sed quam primum Imperatori verè constitisset, auxiliares advenisse copias, portis erumpit, et hostem cum suis etiam aggreditur. Unde major hostium strages cernitur. Flovent hoc prælio, haud secus

(a) A D : Ethnicos Romanum imperium invasisse.

(b) A D : urbanosque (D : omnes, qui armis gestandis idonei erant) evocat, clamans, cognatum Cæsaris auxilio adesse.

quam aliis, ita se gessit, ut omnium oculos in se converteret, quia neminem Principem tam fortem invenit, quem illico in terram non prosterneret. Cruentis ad axillam usque ambabus manibus sanguinolentum ensem vibravit. Otun quoque et Jofreir illius exemplo instigati multa egregia facinora et frequentem cædem committunt. (*p.* 89) Tandem Flovent Amirallum Regem *(c)* media in acie reperiens, orco dedit *(d)*. Quo viso hostes *(e)* fugam statim arripiunt, et fugientes, pecudum instar, cæduntur.

Fusis fugatisque hostibus, reversus in urbem Imperator cognatum suum Floventem summo cum gaudio, complexu et osculo excepit; gratiasque egit Deo et illi, qui tantæ victoriæ authores essent *(f)*.

Flovent Romæ aliquantisper commoratus a Marco Papa, Festo Annunciationis sanctæ Mariæ coronatur. Quibus omnibus ritè peractis, ab Imperatore admodum honoratus, in Franciam revertitur, ubi redux a Regina et toto populo summo cum desiderio libenter excipitur.

Deinde Otun Fausetam et Jofreir Florentem uxores ducunt; illi Flovent Corbolium *(g)*, huic Normandiam regna dedit, et regio nomine utrumque condecoravit. Hi vero pro tantis muneribus maximas, quas potuerunt, egere gratias, et in sua regna quisque se contulit.

Hoc pacto Flovent totius Franciæ potitus multa, alia memorabilia gessit, quæ singula longum foret enumerare. Ex regina Marsibilla sex filios suscepit *(h)*, illustres viros, et Patri haud absimiles. Quod superest, regnum suum Flovent summa cum laude multos annos administravit. fasces suos potentia et justitia suffulsit, muni-(*p.* 90)-ficentia et clementia ornavit.

Tandem senio confectus feliciter obiit, et in templo Matris Dei, sanctæ Mariæ, sepultus quiescit, quod ipsemet, dum in vivis erat, in Dei honorem, suamque salutem extruendum curaverat; qui cum Filio et Spiritu sancto vivit et regnat in sempiterna secula. Amen.

(c) A D : Regem Ethnicorum interfecit.
(d) A D : vexillumque concidit.
(e) A D : herbam statim porrigunt.
(f) A D : cui et multa regia dona erogavit, eumque Regem totius Franciæ creavit.
(g) D : Curlandiam, *sed perperam.*
(h) Sic C, sed A : filium, B : filios.

FINIS.

II

EXCERPTA E CŒTERIS FLOVENTS SAGÆ MANUSCRIPTIS CODICIBUS.

I. *Excerpta ex Holmiensis regiæ Bibliothecæ codicibus* [1].

Codex n° 47 *(Initium)* : Illa saga non constat commentis quæ per jocum facere solent homines ; sed vera est, quia magister Symon eam reperit in Saxoniæ urbe quæ Lyon nominatur, ubi is erat in schola; eamque tulit in Franciam Parisius eleganti cum apparatu. Illa saga de primis regibus agit qui in Francia regnabant : qui verum Deum coluere ejusque leges bene et magnificenter observaverunt.

(Finis) Flovent regnum suum gubernabat secundum Dei gratiam et voluntatem; et erat maximus Dei miles, et ad defendendas Dei leges sæpe vitam suam periclitabatur et ad parendam christianam gloriam. Et efficiebat multas res præclaras quarum a Deo ipso promissionem habuit. Senio et ægritudine mortuus est et magnificæ ejus fuerunt exsequiæ. Sepulchrum splendide extructum est in ipso quod faciendum curaverat monasterio, Dei in honorem et gloriam qui vivit et regnat in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Folio 33, 34 (cf. Olavianam versionem, cap. v; vide supra, p. 129) : — Flovent respondet : « Frater, quando huc venisti, aut unde es ? » — « Domine, dicit adolescens, ego sum fratris filius regis Romani. Tunc venerunt pagani et spoliaverunt multa regna et ibi patrem meum ceciderunt meque abstulerunt et vendiderunt cuidam principi. Qui quidem me immolare coegit ; jus autem idem ac aliis vernis mihi dedit, sed me magni illius delicti pœnitebat, quum meum Deum et ejus pretiosum nomen renegarem. Postea perfugam me ex iis difficultatibus liberavi. » Flovent respondet : « De hoc bello jam audivi, et scio te vera dicere. Veni et me osculare ; tu enim meus es consanguineus. »

1. Hanc versionem Doctori Klemming debeo : textus islandicus ad verbum redditur. Cf. supra, p. 60

Codex n° 6 ; fol. 73 verso : — Tunc dicit Flovent : « Unde venisti, frater, et quare huc tetendisti ? » — Domine mi, respondet adolescens, ego sum filius Wilelmi regis qui regnabat in potenti Ange et..... ibi exercitum magnum, quum Franci in urbem Romam vecti sunt, quum Constantinus Cæsar christianismum accepisset. Spoliaverunt multa regna et patrem meum interfecerunt, meque captivarunt et cuidam principi vendiderunt. Qui quidem me Maümeto immolare cogit. At dein mihi idem ac aliis armigeris jus dedit ; postea ab iis maximas per difficultates aufugi. » — Flovent dicit : « Hæc jam audivi et scio te vera dicere. Veni et me osculare, nam meus es consanguineus. »

II. *Excerpta e parisiensi codice de* Flovents Saga [1].

(Initium ; fol. 1, recto.) Saga ista non commentis illis constat quæ ingeniosi viri sibi ad delectationem fingunt ; potius est ea vera, quia Simon magister invenit eam in urbe quæ Lugdunum dicitur, in Francia, et eam in linguam francicam eleganter transtulit. Saga illa est de primo rege qui tenebat Franciam, qui verum Deum colebat et ejus leges observabat. Hic erat filius sororis Constantini imperatoris antiqui quem Silvester papa christianum fecit, etc.

(Finis; fol. 47, recto.) Flovent administravit tum regna sua multas per hyemes : opulentus erat et justitiæ amans, liberalis et illustris ; sed tandem senio confectum excepit in lecto morbus, et in ecclesia Dei matris Mariæ tumulus, quam ipse fecit Deo in gloriam, sibi in salutem. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in omnia sæcula. Amen.

(Folio 12, recto.) Tum dixit Flovent : Unde venis, tu frater ? vel quare huc venisti ? Domine mi, dixit adolescens, ego sum filius Wilhelmi regis qui regebat Ange oppidum opulentum illud. Meministine Francos Romam urbem advenisse, quum Constantinus imperator christianismum recepisset ; ibique spoliavit *(corrige* spoliaverunt) multa regna, et necaverunt patrem meum et me captivum fecere et vendiderunt principi cuidam, et me coegit Maümeto servire, et posteà mihi idem dedit jus ac aliis armigeris. Postea eos deserui magna cum difficultate. Flovent dixit : Audivi hæc relata esse et scio sic res sese habere ut dicis. Veni tu huc, et osculare me : tu es consobrinus meus ; ego sum filius fratris regis, patris tui.

1. Bibl. Nat. fund. scand. 23 (antea *supplem. fr.* 5,414), chartaceus, parvus in-4°, foliis 47 constans, sæculo XVIII exaratus ; cf. supra, p. 59. — Hanc versionem, quæ ad verbum redditur, amico professori Voss debeo.

III

EXCERPTA EX ITALIANO LIBRO DE FIORAVANTE.

Parisiis, Bibl. Nat., fund. ital. 1,647, *parvum in-4º chartaceum, folia* 60. — *Scriptum decimo die septembris, anno* 1467, *in castello domini « de Pontevigo »*. — Cf. supra, p. 71.

(Fol. 1.) Questo si è el libro de Fioravante cavaliero e de Dusolina soa moyere.

Stando Constantino Imperatore in Roma et ello haveva uno so nevodo lo qual aveva nome Fiorio; e vene a parole con lui a tanto che lo Imperatore el chazò de Roma, e degie bando de tuto el so terreno, per che el aveva morto un homo. E Fiorio se partì e se ge tolse un so chavallo e la spada e le soe arme le quale eranno molto fine e andòsene. E sego menò uno se nevodo el qual era appellato Sufficiente [1]. E andono in Franza in una terra che era appellata Polumo [2]. E Fiorio tolse per moyere Biondora la bella, et era Sarasina; ma fosse christiana et era sorella del Re Ballante, del Re Fiorenzo, del Re Balugante, del Re Galerano e del Re Suberio [3]. Et ella alcise el *Re* Consolerio so fradello a tradimento e tolse ge tute le soe arme. E quando chavalcava ella andava a modo de Re, e Fiorio zaxi con ley e ingravidòla de doi filioli. E stragando Fiorio per un tempo fece adunar tuta soa zente e fece so perforzo tanto che ebe cento milia cavaleri, e chavalcò tando [4] che el fo zonto intorno a Parixe, e asediò intorno. E dentro della citade era el Re Fiorenzo so congnado. E quando el Re Fiorenzo vide cuntanta gente cosi, *insì* fora della citade cun tuto so perforza [5] forte armato, e ben a-chavallo, e quando Fiorio lo vide,

1 et 2. Hæc nomina animadverte; quorum originem non perspicio.
3. Vel *Subeiro*. Infra *Consolerio* et *Consubeiro*. — 4 et 5. Sic.

commenzò a fare le soe schiere. El re Fiorenzo fece le soe; e l' una schiera contra l' altra comenzò a ferire. Lo primo feritore fo Fiorio contra el Re Fiorenzo e Fiorenzo contra lui, tammanti fo*no* i colpi che ambe le lanze frusono. E l'una gente feria contra l'altra si che molto ne moria. Ma alora se combatia Fiorenzo e Forio con le spate donando se grandi colpi. E Fiorenzo taliò tute le arme a Fiorio. (1 *b*) E Biondora stava soto el so pavione. Alora ela clamò uno cavalero, e dixe : « Va ala bataya e sapia me dire como sta mio marito. » Alora se partì el cavalero e andò ala batalia, e vide che Fiorio avea lo peiore, e tornò a Biondora e disse gello. Ed ella se armò de le arme che fono del Re Consubiero so fradello. E montò a cavallo, e tolse la corona in testa, e cavalca a la bataya a modo de Re. E tolse lo scuto e la lanza in mane, e cavalcò tanto chel' azonse a Fiorio so marito, et era za partito del Re Fiorenzo perche tute le soe arme aveva za tagliate in dosso. Et ella gie disse : « To questa lanza, e si lo ferisse et io lo ferirò del altro lato con la spata e a questo modo se lo ociderem o. » Rispose Fiorio : « Ben avete ditto. » E lo Re Fiorenzo quando se avidi de questi doi chavaleri, dare se fece una grossa asta in man e vene sopra de loro e ferì Fiorio sopra el scuto, e Biondora ferì a lui in lo fiancho e Fiorio ferì Fiorenzo per tal forza chel gie mise la lanza in lo pecto e morto cade in terra da cavallo.

E tuta soa zente mise insconfita, e prexe Parixe. Alora Fiorio se fo incoronato del regname de Franza e fece baptizare tuta la zente de quello regname e la moyere che fo de Re Fiorenzo dete per moyere ad uno cavaliero el quale aveva nome Ansuyxo, dello quale nase quelli de Maganza. Poy vene tempo che Biandora avea doi fioli maschi; l'uno aveva nome Fiorello e l'altro Fionio [1]. (Cf. *il libro de Fioravante*, ed. Rajna, cap. I-XII.)

E stando lo Imperatore Constantino in Roma, e vene in Franza a Fiorio un cavalero et dixe : « Io ve saluto per parte del Imperatore Constantino vestro barba, e debeve dire ch' el e *assediato* (2 *a*) dal Re Balugante et dal re Sallante so cosino, e manda ve pregando che lo vegniate a socurrer, e lui ve perdona e vole fare paxe con vui. » El Re Fiorio disse : « Molto voluntera, » dicendo o cavalero : « Vane a Roma, e dige che lo se tegna fin ad uno anno che io sarò cun tuta mia zente. » Lo cavalero se torna a Roma, e lo Re Fiorio se fe adunare lo so perforzo e fece ben *adunare* .CL. milia cavaleri, e partisse de Franza e vene in Lonbardia e aquistòla et ave molte aventure. E prese la Romagnia e la Toscana e azonse a Roma per forza de arme, e si deliberò Roma e sconfisse tuta quella

1. Sic ubique in codice.

zente e fece paxe con lo Imperatore. E stando uno mexe a Roma, lo Imperatore moritte. Quando ello vene a morte el chiamò Fiorio e degò la corona dello Imperio, e Fiorio romase Imperatore e Biondora Imperatrice. E stando in Roma Biondora chiamò a si li filioli e disse : « Andate e aquistate regname ; » et elli incontinenti andono a lo padre e domandono arme e zente per andare ad aquistare regniame, (et elli incontinenti andono [1]) e lo padre gie donò .c. milia cavaleri de bona zente. E Fionio disse : « Fratel mio, io voio andare per la fiola del Re de Daidagna.» E Fiorello gie disse che molto gie piaxea E Fiorello tolse per moyer Bianzadore, la quala era fiola del Re de Lamagnia, e fo incoronato del regname di Franza. (*Fior.* Rajna, XIII XVI.)

E stando lo re Fiorello un tempo con zoa moier e non podeva avere fioli de ella. Ma pur stando con ley finalmente se ingravidò de uno bello fantino ; e quando vene el tempo de parturire, ella ave uno fantino cun una croxe vermeia su il-la spala drita. E quando lo videno, dicevano : « Questo anchora sara Re de Franza. » (2 *b*) E in cavo de otto die le feno baptizare, e fo lo posto nome Fioravante. E crescete lo fantino in pocho tempo. E in cavo de nove anni lo andò avanti a lo Re Fiorello so padre e disse : « Donate me arme, che voio andare a conquistare regname. » E 'l padre gie respuxe : « Tu sei troppo zovene, e voio che tu impara a scrimire.» E Fioravante gie rispoxe : « Volontera. » E allora lo Re Fiorello mandò per uno che aveva nome Salandro de Bertagnia, e costui era molto gran barone, e fece ben ottanta milia chavalieri. Et era melior scrimidore del mondo. Ello vene avante a lo Re e lo Re gie disse : « Io voio che tu insignia a Fioravante mio fiolo », e lui disse « volontiera. » E lo re disse : « Vui andarite alo zardino nostro che e tria milia fora de Parixe.» Et elli se mossero con molte zente et andono a quello zardino, e quello dì se posono ; e l'altro dì se levano a meza terza, e scrimiro fin a terza, e poy andono a disnare ; disnato che aveano, zeno a dormire fin a nona. E poy zeno a scrimire fin a vespere. E questa vita tegneveno trei mexi. E Fiora avant [2] save meyo scrimire che Salandro. E una volta se misero a dormire, in lo zardino. E Salandro faceva mazor ronchato che Fioravante non posseva dormire, et ello se leva et andò a veder Salandro, e trasse fora la sua spada e volse tayar la testa a Salandro. Poy pensò in so core : « A mi sareve gran disonore de aver morto lo mio maistro. Anze che pilio la barba e tagliano [3] un pocho. » E poy andò a dormire soto un arbor, e quando Salandro fo dissidato, amantenente, se mise la man ala barba e trovò che l'avea taiada.... (*Fior.* Rajna, XVII.)

1. Supprimenda sunt hæc vocabula. — 2 et 3. Sic.

. . . .

(5 *a*, l. 3.) E Fioravante ferì un de quelli trei Sarraxini che lo passò lo scuto e lo petto e butelo morto de chavallo. E allo segondo fe el somiante, el terzo sene fuzi. E la donzella circò Fioravante se el era ferito et trovò chel era sano e salvo; et ella abrazòlo e basòlo e disse : « Chavalero, fa de mi (czo che) zo che te piaxe. » E Fioravante disse : « De te non voio altro, » e brazòla e baxòla ; « ma voio manzare. » Et ella disse : « volontiera. » E subito gie portò assay da bevere e da manzare. E quando ebbe manzato e se fo repusato, la donzella disse : « Chavalero, piglia de mi zo che te piaxe, » e Fioravante allora prixe*la* in brazo, la baxava, *e* disse : « Altro non voio de te, se non che tu me menna al tuo padre, e sel gie piaxeva e te toro per mia moiere. » Allora montono a chavallo ambo doi, e chavalcono verso la citade de Balda. E quando fono apresso la citade a doa milia, vitene venire un chavalero coverto lui e lo chavallo. E quando quello chavalero cognove che Fioravante era christiano, disse : « Tu si lo piu bello chavalero che sia ancho in lo mondo. E per le toe belleze te lassarò andare, ma lassa la donzella. » E Fioravante disse : « Io non la lassereve per mille chavaleri. » E Feragu disse : « Tu a' pocho senno ; lassa me fare della donna el me volere. E se la (5 *b*) troverò polzella, e la menarò in Balda, e se la darò per moiere a el un gran chavalero. E se non la trovarò polzella, e la farò vituperare a scuderi, e poy la farò manzare a cani e mastini. » E Fioravante disse : « Anziderai mi inanzi che tu abi ley. » Allora se trasseno a ferire. (*Fior.* Rajna, xx.)

. . . .

